UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia S. Avgvstini de humanæ naturæ stantis, lapsæ, puræ statu & viribus eruitur & explicatur

**Jansenius, Cornelius**

**Lovanii, 1640**

De statu naturae lapsae. Liber IIII. Prosequitur argumentum de viribus liberi arbitrij post peccatum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13673**

Visual Library

tanquam ex aditis sapientiæ Christianæ hauſtâ, & idcirco in Canonem Eccleſiæ versâ, mox concludit boni cupiditatem, hoc eſt, ipſam etiam primum boni operis deſiderium, neceſſariò ex vera Dei gratia debere proficiſci, hoc ipſo quo bona eſt: ſi verò non eſſet bona, nec eſſe debere à Deo. *Proinde*, inquit, *cupiditas boni non homini à Domino eſſet, ſi bonum non eſſet: ſi autem bonum eſt, non niſi ab illo nobis eſt, qui ſummè atque incommutabiliter bonus eſt.* Ex quo relinquitur impoſſibile prorſus eſſe ex Auguſtini mente, ut ullus omnino actus, qui ſit verè bonus, hoc eſt, ſine peccato factus, non à vera Chriſti gratia proficiſcatur; & qui non ab illa proficiſcitur neceſſariò malus ſit. *Si enim bonus eſt, non niſi ab illo nobis eſt, qui ſummè atque incommutabiliter bonus eſt.* *Quoniam*, ut alibi dicit, *liberum arbitrium ad malum ſufficit; ad bonum autem nihil eſt, niſi adiuvetur ab omnipotenti bono.* Et rurſum: *Nec poteſt homo boni aliquid velle, niſi adiuvetur ab eo, qui malum non poteſt velle.* Quibus omnibus locis ex profeſſo gratiæ Chriſtianæ, non Philoſophicę ſive concurſus generalis neceſſitatem ad omnem actum bonum, ad eumque ſolùm poſtulat; ſufficiente ad actus quoſcunque non bonos, hoc eſt, malos propria arbitrij libertate: per ſe enim *voluntas libera eſt in malo, quia delectatur malis: libera autem in bono non eſt, quia liberata non eſt.* Ipſa igitur prima boni cupiditas à Dei gratia neceſſariò proficiſci debet hoc ipſo quo bona eſt. Et cur non à viribus libertatis, ſi tantùm moraliter bona fuerit? Audi Auguſtinum: *Quid eſt enim boni cupiditas, niſi charitas: de qua Ioannes Apoſtolus ſine ambiguitate loquitur dicens: Charitas ex Deo eſt.* Ecce nulla eſt cupiditas ſeu dilectio boni niſi charitas, quæ propterea neceſſariò per gratiam ex Deo eſt: præter quam nihil omnino ſupereſt, niſi mundi cupiditas, quæ non eſt bona; & propterea ut idem Apoſtolus loquitur, *Non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt.* Omnis enim cupiditas boni neceſſariò ex Deo eſt. Vt proinde principijs Auguſtini non aliud congruat, aut congruere poſſit, quàm hominem qui ſuis viribus non poteſt habere cupiditatem boni, non poſſe etiam habere ſuis viribus opera quæ dicuntur moraliter bona, utpote quæ neceſſariò, ſi ſint bona, ex boni cupiditate, id eſt, charitate proficiſci debent. Cùm ergo non aliud à ſuis viribus habere poſſit, niſi cupiditatem ſeu dilectionem mundi, hoc eſt, ut Ioannes exponit: *Concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ: neque enim dilectores mundi*, ut Auguſt. ait, *habent niſi iſta tria*; Et illa dilectio mundi *non ſit à Patre*, hoc eſt, ex Deo; utpote quæ mala, non bona ſit, *ſed ex mundo*; conſequenter homo non aliud *de ſuo*, id eſt, de ſuis viribus exſpectare poteſt juxta Canonem Arauſicanum, *niſi mendacium & peccatum.* Siquid autem habet veritatis atque juſtitiæ, hoc eſt operis boni, ab illo eſt fonte juſtitiæ, cujus gratia aſpergimur ne deficiamus in via. Nam *liberum arbitrium captivatum non niſi ad peccatum valet: ad iuſtitiam vero niſi divinitus liberatum adiutumque non valet.* Cauſa eſt, quia *Spiritu ſancto fit ut non peccare delectet, ſicut præter hunc Spiritum peccare delectat.*

Lib. de correp. & grat. cap. 11.

Lib. 1 ad Boniſ. cap. 3

Ibid.

Lib. 3 ad Boniſ. cap. 9.

Tract. 2 in Epiſt. Ioan.

Lib. 3 ad Boniſ. c. 8.

Lib. de ſpir. & litt. c. 16.

FINIS.

# DE STATV NATVRÆ LAPSÆ

## LIBER QVARTVS.

### Proſequitur argumentum de viribus liberi arbitrij poſt peccatum.

## CAPVT PRIMVM.

### Septimò Auguſtinus ex profeſſo docuit, omne quod non eſt ex fide eſſe peccatum.

ACTENVS ex varijs Auguſtini principijs ſive particularibus ſive generalibus, ſatis, ut arbitror, evidenter aſſeruimus nullum ab hominibus qui carent fide poſſe fieri opus bonum, ſed ſola mendacia atque peccata. Verùm quia nobis familiare eſt, ut ad omnem doctrinam nobis inſolitam, quantumvis evidentibus principijs eruatur; cunctando trepidemus; omniſque ratiocinandi ſolertia ſuſpecta ſit, operæ fuerit pretium non jam ex principijs Auguſtini doctrinam ejus eruere, ſed loco ſeptimæ probationis planiſſimis & ab omni ambigui-

ambiguitate remotissimis verbis ipsum Augustinum audire asserentem sententiam illam, quam ejus esse dicimus, omnesque cavillationes, quibus mens ejus, & verba simplicissima pervertantur, tantâ explicationis perspicuitate dissipantem. ut nullis argutiarum nebulis possit obscurari. Nam quasi de industria omnes conatus recentiorum, quibus ejus doctrinam principijs Philosophorum accommodare studuerunt, opprimere studuisset, ita omnia eorum præclusit effugia, omnes tricas explicuit, omnes cavillationes exarmavit, ut pœne nihil aliud eis superfit, qui rem diligentiùs excussisse videri volunt, quàm admirari doctrinam ejus ut exoticam & incredibilem; & propterea in alium sensum aliquo explicationis commodæ beneficio trahendam esse Sed altitudinem Christianæ sanctitatis & humanæ infirmitatis, & profunditatem ruinæ illius ineffabilis non videntur intelligere, virtutisq; ac vitij differentiam magis ex Philosophia gentium, quàm ex Christiana religione, quæ ab Augustino profundissimè explicata est, haurire voluisse. Vt igitur sine ullius obscuritatis & ambiguitatis ambagibus sententiam Augustini de operibus ante fidem factis, à qua religio Christiana incipit, hoc est, de operibus infidelium intelligamus, videamus non quid principia ejus velint & sentire cogant, sed quid ipsemet perspicuis expressisque verbis passim uniformiter & constanter in omnibus lucubrationibus suis tradit.

Itaque in tractatibus in Ioannem, ut omnem hominis superbiam opprimeret, qua de suis operibus gloriari posset, sicut plerumque humana vanitas eorum, qui ante fidem se benè vixisse arbitrantur de operibus, maximè moraliter bonis, inflari solet. *Non*, inquit, *est ut dicas, antequam crederem tam bona operabar, ideo electus sum. Quid enim est boni operis ante fidem, cum dicat Apostolus: Omne quod non est ex fide peccatum est?* Et in Epistola ad Sixtum: *Opera bona fiunt ab homine, fides autem fit in homine sine qua illa à nullo fiunt homine. Omne enim quod non est ex fide peccatum est.* Et in Epist. ad Vitalem: *Itaque (diabolus) aliquos eorum per quos amplius decipere affectat, sinit habere nonnulla velut opera bona, in quibus laudantur, per quasque gentes, præcipuèque in gente Romana, qui præclare gloriosissimèque vixerunt.* Ecce habes hic opera velut bona, hoc est, si ulla unquam saltem moraliter bona. Sed jam vide quid de illis sentiat Augustinus: *Sed quoniam, sicut verissima Scriptura dicit: Omne quod non est ex fide peccatum est; & sine fide impossibile est utique placere Deo, non hominibus, nihil sic agit hic princeps, quàm ut non credatur in Deum.* Et in libro de gestis Pelagij: *Quantumlibet autem opera infidelium prædicentur, eiusdem Apostoli sententiam veram novimus & invictam: Omne quod non est ex fide peccatum est. &c. Cum ipsa sit initium unde bona opera incipiunt.* Et libro de gratia Christi: *Quid autem boni faceremus, nisi diligeremus? Aut quomodo bonum non faciunt si diligamus? Etsi enim Dei mandatum videtur, aliquando non à diligentibus, sed à timentibus fieri: tamen ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec recte bonum opus vocatur, quia omne quod non est ex fide peccatum est. Et fides per dilectionem operatur.* Et libro primo ad Bonifacium: *Nec potest homo boni aliquid velle, nisi adiuvetur ab eo qui malum non potest velle, hoc est, gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Omne enim quod non est ex fide peccatum est. Ac per hæc bona voluntas, quæ se abstrahit à peccato, fidelis est* Et lib. 3. ad eundem Bonifacium: *Fides licet sine operibus nemineni salvat (ipsa enim est non reproba fides, quæ per dilectionem operatur) tamen per ipsam etiam peccata solvuntur, quia iustus ex fide vivit. Sine ipsa verò etiam quæ videntur bona opera in peccata vertuntur: Omne enim quod non est ex fide peccatum est.* Ex illis & similibus locis, quæ per universa Augustini scripta sparsa sunt, apertissimè constat quid de illis operibus infidelium Christiano sentiendum sit. Sine ullis quippe ambagibus ea vera peccata esse tradit, nec aliud esse posse: eo quod sine fide atque dilectione sit impossibile esse opus bonum. Et ut plenius mentem ejus perciperemus, opera ista vocat quasi bona; quæ non sunt alia nisi quæ vocari & haberi solent moraliter bona; quæ definit non esse bona, sed peccata.

Sed non aliunde evidentiùs mens ejus constare potest, quam ex ijs quæ tradidit libro primo de nuptijs & concupiscentia. Cùm enim ibi docuisset ex Scriptura, donum esse Dei, quod etiam conjuges pudicè & continenter vivunt, difficultatem sibi objicit de conjugibus infidelibus, qui videntur etiam solis arbitrij viribus continenter vivere: *Quid ergo dicimus, inquit, quando & in quibusdam impijs inventur pudicitia coniugalis? Vtrum eo peccare dicendi sunt, quod dono Dei male utantur, non id referentes ad cultum eius à quo acceperunt? An forte nec dona Dei putanda sunt ista, quando hæc infideles agunt, secundum Apostoli sententiam dicentis: Omne quod non est ex fide peccatum est? Quis audeat dicere donum Dei esse peccatum? Anima enim, & corpus, & quæcunque bona animæ & corporis nostri aliter ista etiam in peccatoribus dona Dei sunt; quoniam Deus non ipsa ista fecerunt. De his autem quæ faciunt dictum est, Omne quod non est ex fide peccatum est. Cum igitur faciunt hæc homines sine fide, quæ videntur ad coniugalem pudicitiam pertinere, sive hominibus placere quærentes, vel sibi vel alijs, sive in his rebus quas vitiosè concupiscunt humanas molestias devitantes, sive dæmonibus servientes, non peccata coercentur, sed alijs peccatis alia peccata vincuntur. Absit ergo pudicum veraciter dici, qui non propter Deum verum fidem coniugij servat uxori.* Et ibidem infrà: *Hoc tam evidens bonum (commixtio socialis corporum sine fraude) cum infideles habent, quia infideliter utuntur, in malum peccatumque convertunt.* Et rursum: *Cùm virtus sit pudicitia, cui vitium contrarium est impudicitia, omnesque virtutes etiam quæ per corpus operantur in animo habitent, quomodo vera ratione pudicum corpus asseratur, quando à vero Deo ipse animus fornicatur?* Et paucis interpositis sic concludit: *Tantum valet fides, de qua Apostolus dicit; Omne quod non est ex fide peccatum est: & de qua iterum scriptum est ad*

Tract. 86. in Ioannem.

Epist. 105.

Epist. 107.

Lib. de gestis Pelag. c. 14.

Lib. de grat. Christi c. 26.

Lib. 3. ad Bonif. c. 2.

Lib. 1. ad Bonif. c. 2.

Lib. 1. ad Bonif. c. 3.

Lib. 1. ad Bonif. c. 4.

*est ad Hebræos: sine fide impossibile est placere Deo.* Quod ipse non solum de vita hominis, sed de singulis hominis operibus solet intelligere. Doctrina ista validissimum accerrimumque conflictum peperit inter Iulianum & Augustinum, quo longe luculentius illustrata, & mens Augustini ab omnibus ambiguitatibus evoluta fuit, illo tanquam falsissimam eam refellente, hoc mordicus tanquam verissimam, Christianam, atque Catholicam defendente. Nam istum ultimo citatum locum, quod in animo qui fornicatur à Deo non possit esse vera pudicitia, hoc est, opus verè pudicitiæ, sed peccatum tantum, ita refricat velut invictum, insultatque Iuliano intactum prætereunti: *Sed tu qui mea, sicut dicis, quæ mihi videntur acuta persequeris, hoc totum tanquam mihi obtusum visum fuerit præteriisti. Vide ergo quid horum negandum arbitreris. Virtutem esse pudicitiam coniugalem, proprissime confiteris: Omnes virtutes etiam quæ per corpus operantur, in animo habitare non negas. Porro infidelis animum fornicari à Deo, ille profectò negare, quis se palam sanctarum Scripturarum adversarium profitetur. Ex quibus omnino hæc summa conficitur, ut ant in animo fornicante pudicitia vera esse possit (quod certus, quam sit absurdum:) aut in animo infideli pudicitia esse non possit: quamvis hoc cum asseretur, te fuxeris surdum.* Illis verò Scripturæ locis, quæ lapidinis in præcedentibus testimonijs allegari vidimus, sic eundem stringit Iulianum, eaque sententiæ suæ assertendæ invicta esse conficit: *Nam testimonium illud quod ex Apostolo posui: Omne quod non est ex fide peccatum est; sicut tibi visum est accepisti, & exposuisti, non ut sapit, sed ut sapis. De cibis enim Apostolus loquebatur: verum cum dixisset: Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide; hanc peccati speciem de qua agebatur generali voluit probare sententia, mox inferens: Omne enim quod non est ex fide peccatum est. Sed ut hoc ibi de cibis tantum intelligendum esse concedam: quid de alio dicturus es testimonio, quod identidem posui; nec inde aliquid disputasti, quia non invenisti quo modo in tuam posses detorquere sententiam, quod ad Hebræos scripsum est: Sine fide enim impossibile est placere Deo? Nempe ut hoc diceretur, de tota vita hominis*, id est, de totius vitæ actionibus, *agebatur, in qua iustus ex fide vivit. Et tamen cum sine fide impossibile sit Deo placere, tibi virtutes sine fide sic placent, ut eas veræ prædices, eisque bonos esse nomines: & rursus quasi te pœnituerit laudis earum, fortes pronunciare non dubites.* Et infrà iterum de singulari quodam opere loquens, opere videlicet misericordiæ, quod exhibetur pauperi, & maximè videbatur moraliter bonum: *Porro, inquit, si vitium est malè misereri, procul dubio vitium est infideliter misereri. Quod si & ipsa per seipsam naturali compassione opus est bonum; etiam isto bono male utitur qui infideliter utitur, & hoc bonum male facit, qui infideliter facit. Qui autem male facit aliquid, profectò peccat. Ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera quæ faciunt infideles non ipsorum esse, sed illius qui bene utitur malis. Ipsorum autem esse peccata, quibus & bona malè faciunt, quia ea non fideli, sed infideli, hoc est, stulta & noxia faciunt voluntate. Qualis voluntas nulli Christiano dubitanter arbor est mala, quæ facere non potest nisi fructus malos, id est, sola peccata. Omne enim, velis, nolis, quod non est ex fide peccatum est. Et ideo Deus istas arbores non potest dilligere, & si tales permanserint, disponit excidere, quia sine fide impossibile est placere:* Et rem à fundamentis eruens in fine concludit: *Sed breviter accipe, ne forte cum in rebus ipsis tantum erres, quantum errari plurimum potest, videar tecum certare de veris. Aut ergo intelige quod ait Dominus: Si oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit: Si autem oculus tuus simplex est, totum corpus tuum lucidum erit: Et hunc oculum agnosce intentionem, qua facit quisque quod facit: & per hoc disce, cum qui non facit opera bona, intentione fidei bonæ, hoc est eius quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis, velut membris, operibus constat, tenebrosum esse, hoc est, plenum nigredine peccatorum.* Plura hujusmodi in eodem loco inculcat Augustinus; sed ista sola, quamvis nihil Commentarij loco adiiceretur, ita perspicua sunt, & mentem ejus de omnibus infidelium operibus tanta claritate convincunt, ut non sinant hominem nullâ contrariâ sententiâ preoccupatum aliud suspicari. Nam in illis ipsis testimonijs allegatis, multoque uberius in cohærentibus ejusdem disputationis locis omnes recentiorum cavillationes, quibus mentem ejus obscurare, ac in alium sensum detorquere conantur, ita lenitè perimit, ut mirum sit cordatos homines in tergiversationes ita frivolas declinare, & Augustino suas cogitationes imponere potuisse.

Præcipua verò tergiversandi causa est quòd principijs humanæ Philosophiæ non congruere Augustini Theologia videatur. Molestissimè quippe nonnulli ferunt, quod naturæ viribus infidelis non possit actum facere, qui tendat in moralem honestatem actus: hoc enim sufficere volunt, ut sit actus moraliter bonus, etsi aliò nullâ voluntatis intentione referatur. Itaque doctrinam Augustini in illo generali sensu intellectam dicunt esse *incredibilem, rationes eius frivolas, & tanto ingenio indignas, mirabiles continere verborum æquivocationes: quia ex significatione propriâ animi fornicari, fit transitus ad metaphoricam, & ita syllogismus fit in quatuor terminis.* Quapropter ut ex ejus doctrinæ vinculis liberentur, aliquot solutiones excogitatæ sunt, quas ad omnia loca in promptu habent, ut ubi una deficit, succurrat alia: omnes verò tam enormiter de tanti Doctoris veluti triennalis tyronis doctrina ludunt, ut longè satius esset palam ab ea discedere, quàm eam tot lediorijs adulteratam vindicare. Nos duas præcipuas prosecuturi sumus, & ex Augustini verbis ac doctrinæ filo & scopo diffluturi: ut omnibus perspicuum esse possit, eas non judicio veritatis expressas, sed necessitate excogitatas: nihilque minùs quàm ex Augustini lectione promanasse.

Lib. 4 cont. Iul. c. 3.

Ibid.

Ibid. lib. 4 cap. 3.

In fin. n. 3.

Suar. lib. 1. de grat. c. 7. n. 10. & 14.

# CAPVT SECVNDVM.

## Primum effugium occluditur, quo dicunt Augustinum loqui de peccato latè & impropriè sumpto:

PRIMA igitur responsio, qua recentiores Augustini citata testimonia, totamque illam acerrimam disputationem cum Iuliano diluunt, in eo sita est, quod Augustinus impropriè peccati nomen usurpet pro peccato latè sumpto, pro actu videlicet, qui non potest prodesse ad vitam æternam. Quidquid enim infidelis boni fecerit, caret illa perfectione boni operis, ut aliquid vitæ æternæ conferat, ideoque meritò peccatum veluti defectivus actus appellari potest. Nam etiam Augustinus cùm dicit, infideles non posse facere quicquam boni, non quodlibet bonum intelligit, sed, inquiunt, *bonum pietatis, quod ad æternam felicitatem, aliquo modo conferat*, juxta illa verba ejus: *Scito nos dicere illud opus bonum sine Dei gratia, quæ per unum mediatorem datur, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum regnumque perduci.* Et paulo post: *Hoc ergo amore opus est, ut bonum beatificum sit &c.* Cùm igitur hoc Augustino sit tantùm opus bonum, reliqua veluti defectiva etiam peccata vocat.

*Saar. lib 1. grat. c. 7. n. 21.*

*Lib. 2. cont. Iul. c. 3. in fine.*

Sed multis modis facile ostendi potest, responsionem istam, vel potiùs cavillationem esse imperitissimam doctrinæ Augustini, ab ejus mente remotissimam, indignamque quæ à viris doctis proferatur. Primo, quia semper utitur ad probandam sententiam suam illo Scripturæ loco: *Omne quod non est ex fide peccatum est*: Certissimum est autem Apostolum ibi verissimum peccatum intelligere, sive fides accipiatur, pro dictamine conscientiæ, ut plerique solent, sive pro fide qua fideles Deo dicimur, ut Augustinus & ferè antiqui volunt. Præmiserat enim Apostolus; *Qui autem discernit, si manducaverit, dammatus est, quia non ex fide.* Causam autem damnationis reddit, quia *quod non est ex fide peccatum est.* Quæ falsa profectò & inepta ratio est, & ipsis respondentibus repugnans, nisi verum peccatum intelligatur. Actus enim imperfectus, seu tantùm moraliter bonus secundùm ipsos causa damnationis esse non potest. Vnde & Augustinus dicit: *Quod hanc peccati speciem, de qua agebat*, manducandi videlicet sine fide, *generali voluerit probare sententia, mox inferens: Omne enim quod non est ex fide peccatum est.* Qua de causa etiam illum alterum Scripturæ locum: sine fide impossibile est placere Deo, sic intelligere solet, ut propterea opera infidelium etiam displiceant Deo & voluntas quæ tales fructus facit etiam excisione puniatur: *Quid?*, inquit, *voluntas nullo Christiano dubitante arbor est mala, quæ facere non potest nisi fructus malos, id est, sola peccata. Omne enim, velis nolis, quod non est ex fide peccatum est. Et ideo*, quia videlicet non proferunt nisi sola peccata. *Deus istas arbores non potest diligere, & si tales permanserint, disponit excidere, quia sine fide impossibile est Deo placere.*

*Lib. 4. cont. Iul. c. 3.*

*Ibid.*

Secundò verum & proprijssimè dictum peccatum ab Augustino intelligi, perspicuè patet ex ejus scopo adversus doctrinam adversarij sui. Fatebatur enim Iulianus disertissimis verbis opera infidelium, de quibus ei cum Augustino erat disceptatio, ita esse bona, ut tamen per ea vitam æternam non assequerentur, sed mercedem dumtaxat quandam temporalem. Hæc enim sunt ipsissima Iuliani verba, quæ Augustinus refert & objicit sibi: *Sed respondere es*, inquit Augustinus, *Quid nisi vana? Ego, inquis, steriliter bonos dixi homines, qui non propter Deum facendo bona quæ faciunt, non ab eo vitam consequuntur æternam.* Et paulo superiùs in eodem loco, cùm dixisset, originem virtutum in animo esse sitam, & affectus omnes, per quos aut *fructuosè* aut *steriliter boni sumus*, in subjecto esse mentis nostræ: *Hortà igitur*, addit Iul. *affectuum vis cum insit omnibus naturaliter; non tamen ad unum finem in omnibus properat: sed pro iudicio voluntatis, cuius nutui serviunt, aut ad æterna aut ad temporalia diriguntur. Quod cùm sit, non in eo quod sunt, non in eo quod agunt, sed in eo solo variant quod merentur. Nec nominis sui igitur possunt, nec generis sustinere dispendium, sed solius quod appetiverunt præmij aut amplitudine ditantur, aut exilitate frustrantur.* Non posset Iulianus manifestiùs declarare mentem suam de operibus istis moraliter bonis, de quibus agebatur; nempe esse opera quidem bona à virtutibus naturalibus profecta, sed quia non referuntur ad Deum, ad vitam æternam consequendam nihil prodesse. Hoc est autem ipsissimum illud, quod recentiores vocant peccatum latè sumptum, vel impropriè dictum, vel actum qui nihil prodesse potest ad vitam æternam. Et tamen Augustinus asseverantissimè contendit, talia infidelium opera, quæ quia ad Deum non diriguntur, nihil ad vitam æternam conferunt, non esse bona, & voluntates ea proferentes, quia Iuliano confitente steriles erant, non posse esse arbores bonas, quia non profert arbor sterilis fructus bonos, ideoque excidendas esse, & in ignem mittendas. Audi Augustinum. *Quapropter dici non potest, quantùm te ipsa fallat opinio, qua dixisti, omnes virtutes affectus esse, per quos aut fructuosè aut steriliter boni sumus*, assequendo videlicet per illas vel non assequendo vitam æternam; *Fieri enim non potest, ut steriliter boni simus: sed boni non sumus, quicquid steriliter sumus. Arbor enim bona bonos fructus facit. Absit autem ut Deus bonus à quo securis paratur arboribus non facientibus fructum bonum, excidat, & in ignem mittat arbores bonas. Nullo modo igitur*

*Ibid.*

*Ibid.*

*hominis*

*bomines sunt sterilitèr boni: sed qui boni non sunt, possunt esse alij minùs, alij magis mali.* Quibus verbis manifestè significat, virtutes hujusmodi, quæ non dirigantur in vitam æternam, non esse arbores bonas, nec opera quæ ab illis proficiscuntur esse bona, sed tantummodo minùs mala, & ideo ignis supplicio excidenda. Vnde de istis operibus, de quibus erat tota disputatio, toties repetit, esse peccata; quia omne quod non est ex fide peccatum est.

Tertiò idem probatur evidentissimè ex circumstantijs loci, unde exorta est tota illa controversia. Est autem locus ille, quem supra ex libro primo de nuptijs capite tertio allegavimus: Illum quippe Iulianus exagitandum sumpserat. Porrò in illo loco expressè distinguit Augustinus peccatum, quod in omnibus operibus infidelium reperiri volebat, ab alijs operibus imperfectè bonis. Distinctionem autem in eo collocat, quòd Deus hujusmodi bonorum naturalium auctor esse potest, peccati autem auctor esse non potest. Hoc autem certissimũ est, non de peccatis latè sumptis, seu actibus moraliter bonis nihil ad vitam æternam conferentibus intelligendum esse: nam etjam ipsimet recentiores confitentur ac docent, Deum hujusmodi peccata, ut cum ipsis ita loquar, per providentiam naturalis ordinis donare & procurare. Cùm ergò de pudicitia infidelium, qua servare videntur fidem thori, pronunciasset illud Apostolicum; Omne quod non est ex fide peccatum est, ut probaret non esse in illis donum Dei, sic mentem suam de peccato explicat: *Quis audeat dicere, donum Dei esse peccatum? Anima enim, & corpus, & quæcunque bona animæ & corporis naturaliter insita, etiam in peccatoribus dona Dei sunt, quoniam Deus, non ipsi ista fecerunt. De his autem quæ faciunt. Dictum est; Omne quod non est ex fide peccatum est.* Et paulo pòst de commixtione conjugali tanquam naturali bono dicit: *Hoc tam evidens bonum cum infideles habent, quia infideliter utuntur, in malum peccatumque convertunt.* Quis enim, obsecro, vel ignarissimus tyro Theologiæ, imo quis vel ineptissimus ac stolidissimus ex hominum vulgo commixtionem, aliasque naturales actiones, & corporis atque animi dotes BONA vocet, quæ per se similiter nihil omnino ad vitam æternam conferunt, nisi cò voluntate referantur; & tamen actus pudicitiæ conjugalis infidelium, si similiter boni sint, *mala & peccata* nuncupaverit? Et quod hujusmodi actibus velut (ut ibidem loquitur) *alijs peccatis alia peccata vincantur?* Quæ verba carpens Iulianus, & ex ijs Pelagianam suam doctrinam inferens: *Per facilè igitur studio sanctitatis, quod Deus adiuvat, potest homo carere peccatis. Si enim vincuntur, inquit, peccata peccatis, quanto magis possunt, virtutibus peccata superari?* Est autem certum Pelagianos cum dicerent, *hominem carere posse peccatis*; &, *virtutibus peccata superari*, proprijssimè dicta peccata intelligere; cùm tamen Augustinus hoc negèt, ac tantum velit peccatis alijs alia peccata vinci: ut necesse sit, & Iulianum & Augustinum eadem illa vera peccata, non opera bona licet imperfecta, in verbis Augustini intelligere; nisi velimus utrumque inter se pueriliter in æquivocationibus ludere. Quòd manifestius ex Augustini perpetua phrasi ac doctrina declarari potest. Docet enim ille passim in scriptis suis, omnes functiones naturales imo etjam omnium virtutum moralium officia, ut misereri pauperis, subvenire periclitanti, & similia, esse bona, & ex Deo proficisci, infidelium verò opera non esse bona. De illis enim sic Augustinus; *Copulatio maris & fœminæ generandi causa bonum est naturale nuptiarum*: quod mox vocat *evidens bonum*. Et infrà abstinentiam ab adulterio dicit esse *in connubio bonum naturale quidem, carnale tamen*. Et libro secundo, commixtionem coniugum esse *ex Deo*, esse *laudandam*, esse *opus Dei*. Imò admittit etjam responsionem Iuliani dicentis etjam adulterorum *commixtionem per seipsam bonam esse*. Et lib. quarto: *Bonum esse subvenire hominis periclitanti, præsertim innocenti*: esse *Dei opus bonum*: *misereri per seipsum naturali compassione esse opus bonum*, etjam cum fit ab infidelibus, talia *opera bona quæ faciunt infideles non infidelium esse, sed Dei*. Et capite septimo, *commixtionem legitimam sexuum generandi causâ* esse *opus bonum*, etjam in infidelibus, & regenerationem detestantibus. Et tamen infideles, qui talibus utuntur actionibus & officijs bonis, in ijsdem locis sæpiùs peccare testatur: *Quamvis eo bono* (commixtione legitima) *male utantur, & in eo peccent, quod de impia vel propaganda vel propagata prole gloriantur*. Et de bona compassione misericordiæ: *Etiam isto bono male utitur qui infideliter utitur, & hoc bonum male facit qui infideliter facit: qui autem male facit aliquid, profectò peccat*. Et rursum: *Ipsorum autem esse peccata, quibus & bona male faciunt; quia ea non fideli, sed infideli, hoc est, stultâ & noxiâ faciunt voluntate*. Hæc sanè demonstrant evidentissimè longè aliter Augustinum de operibus, in quibus infideles videntur moraliter benè facere, quàm de officijs ipsis bonis, quibus utuntur, sentire & loqui. Ista quippe officia constantissimè profitetur esse bona, etjam in ipsis infidelibus dum ea faciunt; usum verò talium bonarum actionum sive officiorum esse in infidelibus malum, & ijs malè utendo in peccata converti: cùm tamen utrumlibet istorum, si vera sunt quæ recentiores Augustino tribuunt, similiter malum & peccatum latè sumptum dici debeat, quia nihil ijs ad assequendam vitam æternam prodest; vel potiùs, ut ipsi loquuntur, & omnis vir non perturbatæ mentis loqui debet, esse utrumque bonum.

Quartò si cui forte ista nedum satis perspicuè mentem auctoris indicant, ut sciat qua significatione peccati nomen usurpaverit, sunt loca plurima & manifesta, quibus ubique uniformiter peccatum proprijssimè dictum, hoc est, veram justitiam, actumque supplicio dignum se intelligere profitetur. Dicit enim ea opera infidelium esse *malè facta*, ideoque non posse esse nisi peccata: *hoc tam evidens bonum cum*

Lib. 1. de nup. cap. 3.

Lib. 1. de nup. cap. 4.

Ibid. c. 17.

Lib. 2. c. 5. c. 9.

Lib. 3 cont. Iul. c. 7.

Lib. 4. c. 3.

Ibid. c. 7.

Lib. 4. c. 7.

Ibid. c. 3.

Lib. 1. de nupt. initio.

*cùm infideles habent, quia infideliter utuntur, in malum peccatumque convertunt.* Et iterum: *Hoc bonum male facit qui infideliter facit: qui autem malè facit aliquid, profectò peccat.* Infideles enim & *bona malè faciunt.* Dicit esse vitia: *Si vitium est malè misereri, procul dubio vitium est infideliter misereri.* Dicit ea non placere Deo: *Nos ea quæ videntur opera bona dicimus non esse verè bona sine fide; quoniam opera vere bona necesse est Deo placere. Cui sine fide quia impossibile est placere, profectò quod vere opus est bonum, sine fide non potest esse.* Et capite tertio: *Deus tales arbores non potest diligere,* Dicit esse *peccata*, quæ *stultâ & noxia voluntate fiunt*, ut paulo antè vidimus. Dicit per illa opera non esse homines tantùm sterliter bonos, hoc est, sine fructu vitæ æternæ, sive tantùm moraliter bonos, sed magis aut minùs malos: *Fieri non potest, ut sterliter boni simus;* (per opera sine fide facta) *sed boni non sumus, quæ quid sterliter sumus.* Item *nullo modo homines sunt sterliter boni: sed qui boni non sunt, possunt esse alij minus, alij magis mali.* Dicit per ea homines iniustos fieri: *Cum non ad suum referuntur auctorem dona Dei, hoc ipso mali hiis utentes efficiuntur iniusti.* Dicit ex eis tanquam ex operibus malis homines reos effici. Iuliano quippe objiciente, quòd ex dictis Augustini sequeretur, infideles effici *reos ex bono*, eo quòd dixisset, eos nuptiarum bonum infideliter utendo in malùm peccatumque convertere, qui locus totius illius longissimi acerrimique conflictus causa fuit, respondet Augustinus: *Non dixi alios reos ex opere bono, sed ex opere malo, quo malè utuntur bonis.* Dicit esse tenebrosa & nigra peccata, quæ non fiunt intentione fidei bonæ; qua proinde deficiente, *totum corpus* operum *tenebrosum esse, hoc est, plenum nigredine peccatorum*: Dicit sine impietate negari non posse, quin sint peccata: *Prorsus in quantum non est ex fide* (operire nudum) *peccatum est, non quia per seipsum factum quod est nudum operire peccatum est: sed de tale opere non in Domino gloriari* (id est, non ad Deum referre) *solus impius negat esse peccatum.* Dicit propterea puniendos homines quamvis minùs alijs, qui magis flagitiosi fuerint: *Hoc autem peccantes* (illi Romani, qui talibus operibus claruerunt) *quod homines sine fide non ad eum finem ista opera retulerunt, ad quem referre debuerunt. Minùs enim Fabricius, quàm Catilina punietur; non quia iste bonus, sed quia iste magis malus, & minùs impius quàm Catilina Fabricius, non veras virtutes habendo, sed a veris virtutibus non plurimum deviando.* Dicit homines & voluntates, quibus ea faciunt, excidendos & in ignem mittendos; *Voluntas infidelis nullo Christiano dubitante arbor est mala, quæ facere non potest nisi fructus malos, id est, sola peccata. Et ideo Deus istas arbores non potest diligere, & si tales permanserint, disponit excidere.* Nonne responsio theatro digna est, post tot epitheta illorum operum, quæ homines sine fide operantur, adhuc contendere, quod non sint peccata; sed opera verè bona, ad vitam æternam dumtaxat inutilia? Imo verò nonne hoc est apertissimè sententiam ipsissimam hæretici Iuliani, qua dicebat quod hujusmodi operibus infideles *non fructuosè, sed sterliter boni sint; eaque non propter Deum faciendo, non ab eo vitam consequantur æternam,* quamque Augustinus totis ingenij viribus destruebat, ipsimet invito & renitenti qui eam expugnabat, privatæ amore opinione imponere?

Neque quicquam facit ad infringendam tam manifestam Augustini doctrinam id quod adducitur ex fine disputationis illius, ubi videtur dicere, quòd illud tantummodo bonum non possit sine gratia ab infidelibus fieri, *per quod homo potest ad æternum Dei donum regnumque perduci* hoc est, quod sit pietatis & beatificum. Nam in illo loco duplex ab Augustini responsio datur, utraque adversùs Iulianum peremptoria. Prima est fundamentalis, radicemque tangens omnium quæ contra Iulianum disputans asserverat: quòd videlicet ad bonum opus seu sine peccatò factum requiratur *intentio bona*, velut oculus universorum operum. Quapropter docet, eum *qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc est, eius quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis velut membris operibus constat, tenebrosum esse, hoc est, plenum nigredine peccatorum.* Nam dilectio seu charitas Dei, quam ad opus sine peccato postulat, non alia de causa necessaria est, nisi ut intendi possit rectus, ac debitus, & ex vera sapientia præscriptus finis: neque fides alia de causa prærequiritur, nisi ut intentionem dirigat, & gratiam operandi impetret. De quibus satis diximus. Altera responsio est ad hominem, veluti sufficiens ad jugulandum Iulianum. Dixerat enim expresse Iulianus, se talia tantùm opera infidelibus tribuere, *quibus à Deo vitam non consequerentur æternam* ista tamen esse opera vere bona, & sine ullo facta peccato. Hoc Augustinus quamvis tota illa operosa disputatione subvertisset, in fine tamen arripit non tanquam verum, (jam enim falsissimum esse demonstraverat) sed tanquam sufficiens ad obtinendum scopum suum. Cujus ratio est, quòd bonum opus illud, de quo tota contentio fuerat, duas haberet juxta Augustinum conditiones; unam quòd esset verè bonum, hoc est, nulla peccati labe pollutum. Ad tale opus Iulianus solam hominis naturam sufficere censebat, sicut & nunc Recentiores; Augustinus contrà fidem adeoque amorem Dei velut ad intentionem debiti finis omnino necessariam ex Christianæ disciplinæ regulâ statuebat, ut partim dictum est, partim dicetur statim fusius. Alteram, quòd aliquid ad vitam conferret æternam: quæ conditio ex illa priore inseparabiliter pendet. Fieri enim nullo pacto potest, ut opus quod ex fide, & amore Dei nascitur ut possit esse bonum, sicut prima conditio postulabat, non etiam hoc ipso sit opus pietatis, justitiæ, cultus Dei, meritorium, beatificum. Quæ namque præclarior pietas, & justitia, & cultus Dei, quàm Dei amor ex fide? Quid magis meritorium atque beatificum, id est, ad beatitudinem aliquid conferens, quàm Dei amor ex fide? Ad hanc secundam

Lib. 4. cont. Iul. cap. 3. — Ibid. — Lib. 4 cap. 8. — Lib. 4. cap 3. — Lib. 4 cap. 3. — Ibid. — Ibid. — Lib. 4. cap. 6. — Lib. 4. cap 4. — Lib 4. cap 3. — Ibid. — Ibid.

A — B — C — D — Lib. 4. cap.

secundam igitur conditionem operis boni, quam Iulianus non putabat, sicut neque recentiores putant, cum opere verè bono seu non malo esse indivulsè nexam, fatebatur ipse cum Augustino relationem ad verum Deum veluti ad finem operis, hoc est, dilectionem Dei esse necessariam. Sed inde concludit Augustinus propositum suum de fide ad opus bonum necessariâ, videlicet eo quòd non aliud ipse vocaret opus bonum, nisi quòd hominem ad æternum Dei donum regnumque perduceret; non quasi per hoc admitteret esse aliud genus operis verè boni seu non mali: quomodo enim hoc admitteret, quod totâ disputationis mole contriverat? Sed potius è contrario, quòd nullum omnino sentiret esse vel esse posse opus bonum, quin hoc ipso, sicut fidem amoremque Dei velut sui principium postulabat, ita esset etiam pietatis, & cultus Dei, æternæque vitæ suo modo meritorium. Nam in eodem ipso loco, quo permittebat Iuliano ut ea vocaret opera bona, & sine ullo facta peccato, tales dat rationes sententiæ suæ, ut ijs probet esse vera peccata. Primò, quia non facit ea voluntas bona, sed infidelis & impia. Apud Augustinum autem impossibile est fieri opus bonum, sine voluntate bona, id est, sine amore boni, quod apud Augustinum est voluntas bona. Secundò, quia dicit, voluntatem istam esse sterilem apud Deum, & ideo non bonam. Tertiò, quia dicit, amorem mundi ex quo videlicet illa Iuliani opera fluunt, non esse à Deo. Quid est ergo nisi culpabilis illa cupiditas, quæ non est à Patre, omnium malorum radix, velut amor *rei, quam quis potest invitus amittere, qui in omni malefaciendi genere dominatur*, ut Augustinus ex professo docet? Quartò, sine amore creatoris, quem Iulianus fatebatur non adesse in illis operibus bonis, neminem posse benè uti creaturis. Quid ergo fiet, nisi quod utetur malè, vel, quod pejus est fruetur? Neutrum autem sine peccato fieri potest. Quid est enim non benè uti, nisi non rectè uti? *Omne autem factum, si rectè factum non est, peccatum est.* Sed de ista difficultate, quòd omne opus vere bonum non possit esse nisi pietatis & meritorium, alibi dabitur fusior dicendi locus. Hic sufficit ostendisse, quod infideles nihil operari possint, non solum pietatis, & beatitudinis meritorium, sed nihil omnino boni & absque peccato.

## CAPVT TERTIVM.

### Secundum effugium clauditur, ostendendo solam absentiam fidei sufficere, ut omnia opera infidelium vera peccata sint.

ITAQVE secunda Recentiorum responsio est, Augustinum quando dicit, omnia opera infidelium esse peccata, intelligendum esse *regulariter ac moraliter loquendo*, quia plerumque operantur ut infideles, hoc est, ex regula *non rationis, sed erroris*, apponentes aliquem perversum finem; atque ita quæstionem esse *de facto potius, quam de iure*, hoc est, quid plerumque contingere soleat, non autem quid subinde, quamvis ratiùs possit fieri, si operari velint purè negativè sine fide, & non contrariè ex infidelitate. Solutio nonnullis perplacet: cùm tamen magis fortasse Augustino & principijs quibus nititur, quàm præcedens repugnare videatur. Nam quamvis verissimum sit quandocunque infideles aliquid boni videntur agere, semper adesse finem malum, de ultimo actionis fine loquendo, hoc tamen unicum Augustino sufficit, ut omnia ipsorum opera peccata sint, quod negative non referuntur, neque referri possunt ad illum, ad quem omnis actio creaturæ rationalis referri debet. Quem negativum exprimendi modum tam accurate & sæpè servat Augustinus, ut nemo Scholasticorum, qui præcisos loquendi modos in enodandis difficultatibus sequi solent, præcisiùs locutus fuisse, & Augustinus de hoc ipso scrupulosissimè satagere videatur. Nam in ipso loco, qui totius controversiæ de ista quæstione cum Iuliano exordium fuit, quæstionem ipsam purè negativè proponit: *Vtrum eo peccare dicendi sunt* (infideles) *quod dono Dei malè utantur*, NON ID REFERENTES *ad cultum eius, à quo acceperunt?* Ita ut tota difficultas controversiæ in eo sita fuerit, utrum fides adesse debeat ad hoc ut fiat aliquod opus bonum, ipsaque sola & nuda finis illius absentia, qui fide intentionem dirigente proponitur, sufficiat ut sit opus malum? Quam quæstionem statim resoluit Augustinus affirmativè, & sæpissimè inculcat, hoc ipso quo NON ADEST finis ille debitus, qui est verus Deus, & fide per dilectionem operante intentionemque finis dirigente proponi debet, opus esse malum. Hoc probat statim in ipso ingressu tribus Scripturis solam negationem fidei Deo inhærentis culpantibus, quas identidem, & fere solas, & velut invictas tota illa disputatione repetit, & inculcat: a *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* b *Sine fide impossibile est placere Deo.* c *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* Nam non esse ex fide, esse sine fide, fornicari seu apostatam esse à Deo, manifestissime nihil aliud, quam negationem fidei vel dilectionis ei cohærentis denotant, nec ullo modo etiam ex mente Apostoli & Prophetæ postulant, ut contrariè istæ locutiones intelligantur, Augustinum verò eas sic semper intelligere,

Lib. 1. de grat. c. 7

Lib. 1. de nupt. c. 3.

Ibid. cap. 3. & 4.

a Rom. 14.

b Hebr. 11.

c Psal. 72.

intelligere, solamq; fidei absentiam velut malæ operationis originem, causamque sufficientissimam peccati incusare, plurima ipsius & apertissima testimonia sine ulla ambiguitate declarant. Nam statim in ipso ingressu cùm recensuisset varios fines, quibus, hoc ipso quo infideles non inhærent per fidem Deo, eos consequenter inhærere necessarium est, (impossibile est enim, ut hic absit intentio veri finis ultimi bona, quin semper alia adsit intentio alterius finis ultimi mala) cùm, inquam, recensuisset varios fines, quorum consideratione non peccata coërcentur, sed alijs peccatis alia peccata vincuntur, generaliter & negativè concludit: *Absit ergo pudicum veracuer dici qui* NON PROPTER DEVM VERVM *fidem connubij servat uxori.* Et ibidem paulo pòst: *Hoc tam evidens bonum cùm infideles habent, quia* INFIDELITER *utuntur, in malum peccatumque convertunt.* Quid est autem infideliter, uti nisi non ex fide opus ad Deum referente uti; sed in ipso illo evidenti bono, quo utuntur, & quod intentio eorum respicit, non transitoriâ, sicut oportet, sed mansoria dilectione inhærere? Quod statim ut intelligeremus Augustinus explicat: *Quapropter qui* NON *hac intentione,* NON *hac voluntate, hoc sine generant filios, ut eos ex membris hominis primi in membra transferant Christi* id est, ut non eos in Deum eorum auctorem referant, *sed infideles parentes de infideli prole gloriemur &c. Non est in eis vera pudicitia conjugalis.* Et rursum: *Quomodo vera ratione pudicum corpus asseritur,* id est, opus corporis esse bonum opus pudicitiæ, *quando a vero Deo ipse animus fornicatur?* Hoc est, dum sine Deum intendente atque ita diligente carens, creaturis prostituitur, Prosequatur eoldem negativos exprimendi modos accuratissimè in continuatione illius controversiæ cum Iuliano. Nam cùm longa concertatione probasset adversario suo, nullam esse posse sine fide virtutem veram, aut opus bonum, totius solutionis cardinem tangit præcisissimè: *Quia cum* NON AD SVVM *referuntur auctorem bona Dei,* HOC IPSO *malitiis utentes efficiuntur injusti.* Quis, quæso, Philosophus vel Theologus quantumcunque in pulvere Scholasticarum contentionum & argutiarum tritus, brevius, præcisiùs & significatioribus verbis posset nodum tangere, & ultimas quæstionis fibras præcidere? Hoc ipso, inquit, quo NON referuntur, id est, hoc ipso quo sine opus ad Deum referente carent, efficiuntur injusti. Quam eandem acutissimam illius quæstionis enodandæ rationem, pœnè ubique scrupulosissimè observat. Nam radices totius disceptationis quærens, easque officij quod agimus & finis propter quem agimus distinctione detegens sic concludit: *Cum itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur si* NON PROPTER HOC *facit propter quod facere debet, peccare convincitur.* Hunc autem finem debitum, esse verum Deum pluribus cùm docuisset, rursum instantiùs & eâdem præcisissimè locutiones curâ adijcit: *Quicquid autem boni sit ab homine,*

*Lib. 1. de nup cap. 3.*

*Cap 4.*

*Ibid.*

*Lib 4. cont. iul. c. 3.*

*Ibid.*

*Ibid.*

A *& NON propter hoc, propter quod fieri debere, vera sapientia percipit, etsi officio videatur bonum,* IPSO NON RECTO FINE *peccatum est.* Quam negativam expressionem statim adhuc continuando prosequitur: *Possunt ergo aliqua bona fieri,* NON BENE *facientibus à quibus fiunt.* Nam hoc ipso quo non benè fiunt, id est, non referuntur, quò referri debent, fiunt malè, quòcunque alias referantur: quia ut addit: *Non bonum facit quod* NON *bonâ voluntate facit.* Causam reddit magna cum doctrinæ docentisque securitate: *Absit enim ut sit vel dicatur voluntas bona, quæ in alijs, vel in seipsa* NON IN DOMINO *gloriatur*; hoc ipso quippe quo NON in Domino gloriatur, necessarium prorsus est, ut vel in seipsa, vel in alijs, hoc est, alia quacunque creatura glorietur: cum nihil aliud vel animo fingi possit. Et inferius cum objecisset Iulianus gentes illas, quæ sine fide naturaliter ea B quæ erant legis fecisse videbantur, etjam de talibus maximeque Romanis, qui ceteris præcelluerant respondet Augustinus: *Hoc tamen peccantes quod homines sine fide* NON AD EVM FINEM *ipsa opera retulerunt, ad quem referre debuerunt.* Et mox: *Minus impius quam Catilina Fabricius, non veras virtutes habendo, sed à veris virtutibus* NON PLVRIMVM *deviando:* quia videlicet hoc solo delinquebant, quòd non ad Deum sua opera referendo, à vero fine aberrando deviabant. Vnde iterum paulo pòst: *Non erat in eis vera justitia, quia non actibus sed finibus pensantur officia.* Causam reddit statim in alio exemplo de castitate; *quia nec vera est castitas animi fornicantis, & vera insania est hominis dicentis hoc dedecus, & videntis.* Quæ ratio non est alia à præcedentibus; hoc ipso enim quo animus fornicatur à Deo, hoc est, NON credit in Deum, ideoque nec intendit Deum, neque vera justitia, neque bonum opus justitiæ, neque castitatis esse potest. Cùm verò C demiraretur Iulianus duritiam doctrinæ Catholicæ, cujus pondere premebatur, quod non contentus Augustinus illiâ confessione suâ, qua agnoscebat hujusmodi opera bona gentilium esse sterilia vitæ æternæ, ea insuper mala, & peccata, & igne punienda asseverantissimè traderet, peteretque velut Augustinum ipsâ rei absurditate convicturus: *Si gentilis nudum operuerit, numquid, quia* NON EST EX FIDE, *peccatum est?* Ad petitionem illam præcisissimam negativè expressam, eâdem præcisione, & subtilitate, & categoricâ respondet asseverantiâ August. *Prorsus* IN QVANTVM NON EST EX FIDE, *peccatum est.* Et causam reddit categoricè, & negativè: *Non quia per seipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est: sed de tali opere* NON IN DOMINO *gloriari,* hoc est, illud non referre in Dominum, *solus impius negat esse peccatum.* Quod paulo inferiùs probat ex hoc ipso, quia talis misericordia est INFIDELIS, seu non ex fide: *Respondeo, ut hoc sine dubitatione perspicias, talem scilicet* misericordiâ (hoc est, opus talis misericordiæ) non esse bonam sed malam, *Virum bonam misericordiam existimes* INFIDELEM, id est, sine D fide,

*Ibid.*

*Lib. 4. cont. iul.*

fide. *Porro si vitium est malè misereri, procul dubio vitium est* INFIDELITER, id est, non ex fide *misereri. Quod si & ipsa per seipsam naturali compassione opus est bonum, etiam ipso bono malè utitur, qui* INFIDELITER *utitur; & hoc bonum male facit, qui* INFIDELITER *facit: qui autem malè facit aliquid, profectò peccat.* In quibus omnibus locis illud (*infideliter*) non aliud quàm negationem fidei sonat. Hoc enim ipsum satis esse vult, ut non sit bona misericordia, sicut ex ijs verbis patet, quæ præmiserat: *Attentius cogita, ne forte misericordia non sit, nisi quæ huius bonæ fidei fuerit*, id est, si non fuerit hujus fidei: & ex ijs quæ statim adijcit velut causam, cur etiam opera bona malè faciant: *Quia*, inquit, *ea* NON FIDELI *faciunt voluntate.* Et ut intelligeremus, quòd illa voluntas *non fidelis* eadem omnino sit, quam toties *infidelem* appellaverat, & cujusmodi bonitatis sit, interpretando explicat: *Sed infideli, hoc est, stultâ & noxiâ faciunt voluntate.* Voluntas enim, id est, volitio infidelis hoc ipso quo non est fidelis, seu hoc ipso quo non dirigitur fide, non nisi stulta & noxia esse potest, quia NON *in Domino*, ut ante dixerat, *sed in seipsa vel in alijs gloriatur*, quod stultum & noxium esse non dubitat Christiana fides. Itaque ultimum totius negotij cardinem explicaturus, clarissimis & philosophicis verbis in eadem præcisa & negativa exprimendi phrasi perseverans, disputationem ita concludit: *Hunc oculum agnosce intentionem, qua facit quisque quod facit: & per hoc disce, eum qui* NON FACIT OPERA BONA INTENTIONE FIDEI BONÆ, *hoc est, fidei quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis velut membris operibus constat, tenebrosum esse, hoc est, plenum nigredine peccatorum.* Quod ut adhuc radicaliùs & præcisiùs intelligeretur, cùm sciret præter illam Dei dilectionem, per quam tanquam per intentionem fides operatur, nullum alium amorem esse, vel esse posse, nisi amorem mundi, circumspectissimè loquens, & unicuique quod suum est tribuens, de amore mundi dicit: *Amor*, inquit, *fruendi, quibuscumq; creaturis* SINE AMORE CREATORIS, *non est à Deo.* Nimirum ut eum intelligeremus esse, sicut alibi docet, à diabolo, & ex eo non posse nasci quicquam operis boni. De amore vero Dei, quem fides dirigit: SINE HOC AMORE *creatoris nullus quisquam benè utitur creaturis.* Vt proinde omnino impossibile sit, infideles, qui hoc amore creatoris carent, ullâ omnino creaturâ uti nisi malè; imo, quod multò est deterius, ea frui. Alterutrum enim necesse est fieri, ubi non est amor creatoris, ut creaturis vel utatur, vel fruatur. Frui creaturis sine amore creatoris non est à Deo, sed ex mundo, nec unquam licet: Vti verò creaturis sine amore creatoris nemo benè potest; *Per hunc amorem* quippe *creatoris*, ut ibidem adijcit, *benè quisque utitur etiam creaturis.* Fieri enim non potest ut bonus usus sit, hoc est, non malus, qui vero & ultimo utendi fine, ad quem referri debet, destituitur. Sola enim absentia ultimi ac debiti finis, tanquam circumstantiæ quàm maximè necessariæ, ad verum peccatum abundè sufficit: ut satiatissimè, & scrupulosissimè, contra adversarium quàm obnixissimè resistentem in præcedentibus Augustinus explicuit.

Quam doctrinam & in alijs operibus velut sanissimam, Christianisque adversus Philosophicas quascunque opiniones quàm maximè necessariam, frequenter inculcat. Nam in tractatibus in Ioannem: *Sunt opera quæ videntur bona sine fide Christi, & non sunt bona.* Tract. 25. Ioannem. Vnde, quæso, & quamobrem? An ex aliqua extranea, vel perversa, vel erronea alicujus accersiti distortique finis circumstantia? Minimè gentium; sed ob hoc dumtaxat, *quia* NON *referuntur ad eum finem, ex quo sunt bona. Finis enim legis Christus, ad iustitiam omni credenti.* Et in libro de fide & operibus: *In homine ipso nisi præcedat fides, vita bona sequi non poterit.* Lib. de fide & operib. cap. 7. Et quid causæ tantæ impossibilitatis? *Quicquid enim homo veluti rectè fecerit, nisi ad pietatem, quæ ad Deum est, referatur, rectum dici non oportet. Omne autem factum, si rectè factum non est, peccatum est.* Lib. ad Honorat. c. 12. Et in libris Confessionum: *Hoc enim peccabam, quod* NON IN IPSO, *sed in creaturis eius me, atque ceteras voluptates, sublimitates, veritates quærebam, atque ita irruebam in dolores, confusiones, errores.* Lib. 1. Confess. c. ult. Illa quippe duo separari nullo pacto queunt, ut qui non in Deo velut fine requiescit non requiescat in creatura; & vice versâ, qui non in creatura, non requiescat in Deo. *Nec enim anima potest nisi in eo quod diligit requiescere.* Serm. 18. de diverf. c. 4. Meritò igitur dicit Augustinus, quòd in eo peccaverit, quod *non in ipso*, sed in creaturis quidlibet tandem diligendo quæsiverit. Nam ut in eodem loco definit ac dicit: *Peccatum non solum illud est, quod in turpi aut iniquo facto apparet hominibus; sed etiam si habeat speciem boni operis, & tamen propter mercedem temporalem fiat,* NON PROPTER *requiem sempiternam*, hoc est, non propter Deum. Temporalis enim operis merces maximè est finis ejus: quem necesse est esse temporalem, quidlibet tandem respicere videatur, nisi oculis collimet in sempiternum Deum, velut eum in quo sempiternâ requie debet requiescere. Ibid.

Hinc & in Commentarijs super Psalmos: *Opera quæ dicuntur ante fidem, quamvis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Nemo ergo computet bona opera sua ante fidem: ubi fides* NON ERAT, *bonum opus non erat.* Præfat. in Psalm 31. Et quid erat, si bonum non erat, nisi malum? Deerat enim non quælibet indifferens circumstantia, sed qua non præsente non potest opus ex ea sequens esse nisi malum, videlicet circumstantia recti finis, de quo contra Iulianum definierat, quod opus, etsi officio quod fit videatur bonum, ipso *non recto fine peccatum sit.* Audi

*sit.* Audi igitur hanc ipsam ibidem expressam causam: *Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit.* Audi explicatiùs inculcatam. *Non valde attendas, quid homo faciat, sed quid cùm facit aspiciat, quò tacertes optimæ gubernationis dirigat. Fac enim hominem optime gubernare navem, & perdidisse quò tendat: quid valet, quia artemonem optime tenet; optimè movet, dat proram fluctibus, cavet ne latera infligantur, tantùs est vir bus ut detorqueat navem quò velit, & unde velit? & dicatur ei: Usque quò ?, & dicat, Nescio; aut non dicat, Nescio, sed dicat, Ad illam portum eo, Nec ducat in portum, sed in saxa festinet? Nonne ille quanto sibi videtur in navi gubernanda agilior, & efficacior, tanto periculosius eam sic gubernat, ut ad naufragium gubernando perducat? Talis est & qui optimè currit præter viam,* hoc est, talia sunt opera, quamvis in specie optima, præter fidem. Saxa enim sunt, mundus & ea quæ in mundo sunt, hoc est, quælibet creatura, si cupiditate diligatur. Nam ut ibidem adjicit: *Amor mundi, amor huius seculi,* quem nemo qui non diligit Deum in ullo opere suo nullis machinis aut subtilitate evadere potest, *cupiditas dicitur*, ideoque rectissimè monet: *Cupiditas refrenetur, charitas excitetur.*

Ibid.

Hæc aliaque plura quæ proferri possunt perspicuè, nisi multùm fallor, demonstrant, utrum tota illa doctrinæ moles, quam de omnibus infidelium operibus tradidit, de infidelibus ex regula erroris, seu ex infidelitate, aliâve pravâ intentione operantibus tantùm intelligenda sit; ideoque *regulariter, & moraliter*, ut ipsi loquuntur, tantùm vera. Mentem quippe suam, qua sentit, omnia omnino opera infidelium nullo excepto esse vera peccata, nec esse posse nisi peccata; tanta manifestatione declaravit, ut si Solis radijs eam scribere voluisset, vix arbitror illustriùs eam nobis depingere potuisse. Repetit enim creberrimè, constantissimè, maximâ præcisè loquendi circumspectione, *hoc ipso quo dona Dei* NON AD *suum referuntur auctorem, iniustos fieri: hoc peccari quod* SINE *fide,* NON AD DEVM *retulerunt opera sua.* IN QVANTVM NON EST EX FIDE, *peccatum est, de tali opere* NON IN DOMINO *gloriari, solum in pium negare esse peccatum,* NON FACERE *opus intentione fidei bonæ, esse peccatum: Ipso officio videatur bonum, ipso* NON RECTO FINE *peccari.* Et hujusmodi plurima. Dicit, cùm quis aliquid NON PROPTER HOC *facit, propter quod facere debet: si opus fiat* NON PROPTER HOC, *propter quod fieri debere vera sapientia præcipit:* si infideles opera NON AD EVM FINEM *referant, ad quem referre debuerunt, hoc ipso esse peccatum.* Hunc finem, ad quem opera infidelium referri debere, veramque sapientiam præcipere ut referantur, satiatissimè & expressissimè docet esse unicum & verum Deum: ad illum, intentionem velut oculum animæ esse referendam: illam intentionem fide dirigi. Quid amplius ab Augustino, à me-ipso, vel ab ullo homine postulari potest, ut explicet mentem suam? Nec regulariter doctrinam suam, sed formaliter, universaliter, sine ulla exceptione, tanquam quæ principijs universalibus exceptionem nullam admittentibus nitatur intelligendam esse declaret: Nec enim arbitror in omnibus operibus Aristotelis aut Platonis, quibus tanquam Philosophis circumspectum præcisumque loquendi modum Scholastici tribuunt, vel etiam in ipsius Augustini lucubrationibus universis ullam omnino quæstionem repertum iri, in qua tanta, tam crebra, tam constans, tam uniformis loquendi formalitas usurpata sit, quàm in ista de operibus infidelium. Vt sanè nullo illustriori indicio convinci possit, recentiores illos ab Augustini doctrina recessisse, à cujus laqueis non nisi tam futilibus elusionibus, & mirâ totius doctrinæ ipsius & principiorum perturbatione evadere queunt.

## CAPVT QVARTVM.

### Augustini rationes ostenduntur juxta ejus principia esse validæ.

QVOD verò rationes Augustini *frivolas* in eo sensu generali esse citatus auctor queritur, & *tanto ingenio indignas, mirabilesque continere verborum æquivocationes*, hominis non satis rem penetrantis voces sunt. Augustini enim doctrinam à sensibus ipsius plerumque dijunctissimam non tantùm, salvâ ejus pace, non intelligit, sed vix quisquam scriptorum recentiorum facilè reperietur, qui eam suis argutijs magis perturbaverit, & minùs assecutus sit. Nam in plerisque, quæ tanquam absurda & incredibilia ex ea sequi arbitratur, fallitur. Vera sunt, quæ ipse falsa putat, homines ante fidem boni operis incapaces; & gratia bonæ voluntatis operatrice penitus esse destitutos: quia voluntas seu volitio bona, sine qua impossibile est esse opus bonum, à fide incipit, sicut peritis Augustinianorum sensuum indubitatum est. Verum est iterum, quod ipse incredibile putat, intentionem commodi temporalis, quantumcunque ratione regulatam, nisi ratio præfigat operi suo finem Deum, esse malam, voluntatem esse superbam, quæ sepositio Deo, solâ istâ quasi morali honestate delectatur, ut infrà

ut infrà utrumque adversus omnes Philosophorum querimonias ex Augustini mente ostensuri, Deo juvante, sumus. Verum etsi ita est, rationem Augustini nullam æquivocationem verborum continere, quâ fiat syllogismus in quatuor terminis. Ratio enim Augustini hæc est, Cujus animus à Deo fornicatur, non potest esse veraciter pudicus corpore: sed animus infidelis à Deo fornicatur, ergo non potest esse veraciter pudicus corpore. Quænam hic umbra quatuor terminorum? quod vestigium æquivocationis? fornicatio enim semper eodem modo sumitur pro spirituali illa fornicatione, quæ fit dum animus recedit à Deo, maximè per infidelitatem. Nam quamvis omnis corruptio animæ, quæ fit per concupiscentiam rerum creatarum, fornicatio dici soleat, *corruptionem* tamen *multitudinis simulatorum Deorum sæpe ac propriè Scriptura fornicationem vocat*, ut ait Augustinus. Quod si etiam generalissimè fornicationem intelligamus, esse omnem corruptionem casto amori Dei contrariam, qua conglutinatur anima velut beanda creaturis, etiam hic Augustini ratio vera est, formaliter, hoc est, doctrinaliter intellecta. Nullius enim corpus potest esse veraciter pudicum, hoc est, nullum opus ejus erit opus veræ pudicitiæ, cujus animus dum operatur à Deo aversus est. Nam sicut nullum opus est justitiæ, nisi Deus, qui justitia est, diligatur; ita nullum est opus pudicitiæ vel bonitatis, vel castitatis, vel veritatis, vel ullius veræ virtutis, nisi Deus, qui est ipsa vera & suprema, & simplicissima forma pudicitiæ, & bonitatis, & castitatis & veritatis, omnisque virtutis diligatur. Hoc enim modo, & hac de causa fit, ut nullum sit vel esse possit opus verè bonum, si non diligatur gratis Deus, hoc est, si non ad ipsum per fidem intentio referatur. Ratio igitur Augustini optima est, sine æquivocatione vitiante syllogismum per quatuor terminos, prout nimis trivialiter tanto Doctori objicitur: neque diversa est ab illa, quam toties inculcavit, sed aliis tantùm Scripturæ sacræ vocibus, quibus ipse unicè delectari solet, explicata.

Ex quo & illud evanescit, quod Augustino velut objicitur, *Rationes eius æque de omnibus peccatoribus procedere*. Nam quamvis ex ejus mente verissimum sit, opera peccatorum omnium, imo etiam justorum, ut alibi fusiùs dictum est, quæ non referuntur ad eum finem ad quem referri debent, hoc est, ad Deum, sed in creaturis hærent, vera esse peccata: quod auctor ille, non perspectis principijs Augustini, sed ex gentili Philosophia de morali honestate metiens operum bonitatem, incredibile esse putat; falsum est tamen, eandem de peccatoribus fidelibus, quàm de infidelibus esse rationem. Hoc ipso enim quo peccatores fide imbuti sunt, quamvis perfecta illa charitate Deum super omnia diligente, hoc est, justificatione destituti sint, multa tamen bona ex illa fide operari possunt; sicut est in primis, ipsum credere, & operari velle, &, si adhuc viribus careant, infirmitatem suam ingemiscere, ex fide justificationem vel operandi vires impetrare, cujusmodi opera sanctus Augustinus semper peccatoribus tribuit. Unde illa solemnis ejus sententia creberrimè repetita: *Quod lex imperat, fides impetrat*. Et illa: *Gratiam bene operandi fides meretur*. Et illa: *Fide impetrant justificationem*. Et illa: *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori*. Et illa: *Fides erat, quæ data est non orantibus: quæ utique nisi data esset, orare non posset*. Et hujusmodi innumera, quæ cùm sint opera nemine dubitante bona, imo gratiæ meritoria, nec ab ullo infideli possint fieri, nimis inepte dicitur, eandem esse rationem omnium peccatorum.

Nam quòd Augustinus in eadem disputatione dicit: *Absit ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit iustus, nisi vivat ex fide &c.* vera sunt, sive de perfecta justitia, hoc est, charitate Deum super omnia diligente, sive de imperfecta sermonem esse sentiamus, nec tamen de peccatoribus fidelibus & hominibus infidelibus eandem rationem statuunt. Iulianus enim non solùm in hoc errabat, quod infidelibus opera nonnulla bona tribueret, sed in eo quoque, quòd virtutes eis ita perfectas daret, ut eos & vere justos esse diceret, & propter veram justitiam extra damnationem sempiternam futuros. Cùm enim Augustinus omnes illos damnatione plectendos, & quamvis disparibus pœnis, puniendos tamen esse diceret, *Minus enim Fabricius quàm Catilina punietur &c.* Respondens inducitur Iulianus tanquam stomachabundus: *Erunt ergo in damnatione sempiterna, in quibus erat vera iustitia?* Cui Augustinus: *O vocem impudentiâ maiore præcipitem! Non erat, inquam, in eis vera iustitia, quia non actibus, sed finibus pensantur officia*. Et in præcedentibus adversus illam ejus dementiam increpans dixerat, Quod *non audiret dicentem Scripturam: Qui dicit impium iustum esse, maledictus erit*. Itemque: *Quid remansit quod gratiæ reservemus, in tam evidentibus, quibus dixisti eos abundare, virtutibus?* Denique: *Quis porro eorum, qui se Christianos haberi volunt, nisi soli Pelagiani, aut in ipsis etiam forte tu solus, iustum dixerit infidelem, iustum dixerit impium, iustum dixerit diabolo mancipatum?* Unde infert Augustinus ex ejus principijs, eos etiam ad regnum cœlorum admittendos esse: *Per quod enim vera iustitia, per hoc etiam regnum Dei. Deus namque ipse, quod absit, erit iniustus, si ad eius regnum verus non admittitur iustus*. Adversus hanc ergo nimis exorbitantem opinionem, quæ infidelibus hominibus tam perfectas evidentesque virtutes tribuebat, ut nihil omnino divinæ gratiæ reservaretur, ut extra damnationem sempiternam, & idcirco, ut ex ejus opinione infert Augustinus, etiam in ipso Dei regno collocandi essent, rectissimè dicit Augustinus: *Absit*

*Lib. de ver. Christ. c. 8.*

*Epist. 106*

*Epist. 105*

*Lib. 4. cont. Iul. c. 3.*

*Ibid.*

*ut sit in aliquo vera virtus*, tantæ videlicet perfectionis, *nisi fuerit iustus*: qualis profecto virtus nec in peccatoribus fidelibus reperiri potest: quia talis non est nisi perfecta charitas, vel certè ab ista charitate disiungi nequit.

Quòd si verò Augustinum de imperfecta justitia velimus locutum esse, quamvis hoc minùs, propter ea quę diximus, verisimile sit, res nullam difficultatem continet. Tali quippe justitiâ, hoc est, imperfecto quodam amore Dei carent prorsus impij seu infideles; non autem carent fideles, quantislibet fuerint peccatis mancipati. Nam hoc ipso quo adhuc fideles permanent, non possunt non habere affectũ illum veræ pietatis, atque dilectionis, ex qua credunt Deo, ex qua sperant subinde beatitudinem, ex qua orant pro impetranda perfecta charitate atque justitia; ex qua & alia nonnulla bona sincero Dei intuitu operantur, quamvis necdum ita diligant, ut eum omnibus terrenis amoribus ac delectationibus præferant. De tali amore Dei imperfecto, non ut ille recentior Philosophicè imaginatur implicito, & in intentione boni honesti seu moralis alicujus honestatis involuto, sed de vero & formali amore Dei loquitur Augustinus in eodem loco, cùm dicit: *Sine hoc amore creatoris, nullus quisquam benè utitur creaturis.* Nempe sive fidelis, sive infidelis; sive justus, sive peccator; nec tamen de utrisq; eadem ratio est. Fidelis enim etiam peccator tali amore seu Dei intentione in operibus quibusdam nequaquam caret; qua si careret, neque fidem, neq; spem, neq; ullam omnino bonã posset habere voluntatem. Nam ut Augustinus sæpiùs docet; ubi est *initium fidei, est etiam initium bonæ, hoc est, piæ voluntatis*: de qua similiter dicitur: *Quasi verò aliud sit bona voluntas, quam charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo.* Non illa charitas solùm perfecta, sed etiam imperfectissima illa Dei dilectio, seu complacentia, quæ charitatem illam vulgo notam & super omnia diligentem prævolat, & omnem inchoat justitiam, juxta illud Augustini: *Charitas inchoata, inchoata iustitia est, charitas provecta, provecta iustitia.* De quo uberiùs suo loco differendum est.

Epist. 105.

Lib. de gratia Christi c. 26.

Lib. de nat. & gratia c. 60.

## CAPVT QVINTVM.

### Sancti Augustini loca explicantur, quibus asserere videtur opera moraliter bona in infidelibus.

NVNC solvenda sunt nonnulla Augustini testimonia, ex quibus probari putant, in infidelibus esse posse nonnulla opera verè bona. In primis proferunt Augustini loca de Cornelio Centurione, quibus *libro de Prædestinatione sanctorum cap. septimo, & libro primo de Baptismo cap. 16 septimo, & libro quarto capite vigesimo primo* (error enim in citationes irrepsit) *eleemosynas Cornelij, antequam in Christum crederet, & iustitiam appellat, & donum Dei esse dicit. At certè impium est dona Dei inter peccata deputare.*

Ita Bellarm. lib. 5. de gra. & lib. arbit. cap. 9.

At certè ista nimis est somnolenta Augustini lectio, ut ex huiusmodi locis probetur sine fide fieri posse opera nonnulla bona. Testatur enim Augustinus in ipso illo loco de Prædestinatione sanctorum qui citatur, & in alijs pluribus, Cornelium nullo modo fuisse infidelem, sed fide jam divinitus infusa in Deum credidisse, & ex ea fide orasse Deum, in quem crediderat, & eleemosynas erogasse, quamvis in Christum IESVM sibi non annunciatum necdum credidisset. *Solet dici*, inquit, *ideo credere meruit, quia vir bonus erat, & antequam crederet: quod de Cornelio dici potest, cuius acceptæ sunt eleemosynæ & exauditæ orationes, antequam credidisset in Christum. Nec tamen sine aliquâ fide donabat, & orabat. Nam quomodo invocabat, in quem non crediderat? Sed si posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus.* Et paulo post: *Quidquid igitur & antequam in Christum crederet, & cùm credidisset, benè operatus est Cornelius, totum Deo dandum est, ne fortè quis extollatur.* Et expressiùs exactiùsque alio in loco: *Incipit homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna vel externa admonitione motus ad fidem. Sed interest, quibus articulis temporum, vel celebratione Sacramentorum gratia plenior & evidentior infundatur. Non enim catechumeni non credunt, aut verò Cornelius non credebat Deo, cùm eleemosynis & orationibus dignum se præberet, cui Angelus mitteretur. Sed nullo modo ista operaretur, nisi ante credidisset.* Et iterum post pauca: *Sed in quibusdam tanta est gratia fidei, quantą non sufficit ad obtinendum regnum cælorum; sicut in catechumenis, sicut in ipso Cornelio antequam Sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ.* Ecce ex qua fide Cornelius, ex Augustini mente, oravit, & eleemosynas fecit: nimirum ex fide divinitus per veram gratiam data, ex qua & catechumeni credunt, & sæpenumero benè quoque operantur; etsi neutra sine regeneratione sufficiat ad salutem. Vnde de illa eadem fide Cornelij: *Fiunt ergo inchoationes quædam fidei conceptionibus similes: non tamen solùm concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam pervenatur æternam. Nihil horum tamen sine gratia misericordiæ Dei: quia & opera, si qua sint bona, consequuntur, ut dictum est, illam gratiam, non præcedunt.* Quapropter justitia Cornelij neque peccatum fuit,

Lib. de prædest. SS. c. 7.

Lib. de bono perseu. c. 14.

fuit, neque sine fide & vera gratia fuit, & nihil ad præsens propositum facit, ubi de operibus infidelium disceptatio est. Nam Cornelius, qui ex Iudæorum conversatione Deum verum ceteraque vitæ futuræ mysteria videtur didicisse, similis reliquis probis Iudæis fuit, qui Christi mortem atq; resurrectionem nondum statim in alijs gentibus perceperant. Hi enim & credebant in Deum, & in Mediatorem Dei & hominum; & ex illa fide orabant, & nonnulla opera bona faciebant, quamvis in Christum IESVM jam crucifixum pro salute humana nondum credidissent, & hujusmodi fides eis esset necessaria.

Alter Augustini locus est de Polemone, quem Xenocrates ebrium in scholas suas ingressum, de frugi temperantiæ disputando, in altos mores repentè convertit. Hujus continentiam vocat Augustinus *Donum Dei*. Et *ne ipsum quidem*, inquit, *quod melius in eo factum est, humano operi tribuerim, sed divino.*

Epist. 130.

Respondetur, continentiam illam Polemonis fuisse bonam, sed non opus bonum, cujusmodi hîc postulamus, hoc est, sine omni omnino peccato ex omnibus circumstantijs. Defuit enim circumstantia finis ultimi, hoc est, Dei, ex Augustini mente superius explicata, quę quàm maximè necessaria est. Bona ergo fuit illa continentia, sicut & non occidere, non adulterari, misereri pauperis, mutuum dare, & hujusmodi sine fine officia bona sunt, etiam tunc quando non benè fiunt ab hominibus malis. Recti enim finis absentia, & perversi præsentia non facit, ut ipsum officium in se spectatum non sit bonum. Idcirco enim à Deo præcipiuntur, quia bona sunt. Audi Augustinum: *Quidquid bonum sit ab homine, & non propter hoc fit propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* Et iterum: *Possunt ergo aliqua bona fieri, non bene facientibus a quibus fiunt.* Et exemplo declarat: *bonum est ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti: sed ille qui hoc facit, si amando gloriam hominis magis quam Dei facit, non bene bonum facit.* Et in eadem dissertatione rursus: *Si & ipsa per seipsum naturali compassione opus est bonum, etiam isto bono malè utitur, qui infideliter utitur, & hoc bonum malè facit, qui infideliter facit.* Quâ phrasi Augustinus, & commixtionem adulterorum sæpius *bonum* vocat, ut suprà vidimus, & omnem creaturam Dei bonam. Bona igitur fuit illa conversio animi Polemonis à luxuria ad continentiam, sicut bona est animi conversio ab ira ad mansuetudinem, à voluntate nocendi ad favendi voluntatem, à proditione ad fidelitatem, & à quibusque vitijs ad virtutem. Sed, utrum qui illa faciunt, continuò ex omni parte, etiam finis ex quo faciunt, benè faciant, alia quæstio est. Nam sicut in rebus naturalibus oculus semper bonus est, & bona tibia, etsi cæcitas & claudicatio adjuncta non sint bona, quia bonum bono melius est, & irreprehensibile est quod omni malo conjuncto caret: ita bonum est non occidere, non adulterari, à luxuria continere, & supplicio digni qui non faciunt; sed melius est ista etiam recto fine præstare.

Lib. 4. cont. Iul. c. 3.

Hæc igitur causa est, cur etiam ista dona Dei Augustinus appellet, & appellari debeant. Si enim donum Dei est ille animi status, quo aliquis ex natura non est ad luxuriam, aut alia vitia nonnulla pronus, sicut hoc Augustinus sæpiùs docet, & præcipuè libro quarto contra Iulianum; quanto magis Dei donum vocari debet, quòd alicujus animus ex imperiosæ illius libidinis jugo ad continentiam reflectatur? Hinc in eadem Epistola, ut exponeret nobis cujusmodi hoc esset donum Dei, Et quomodo continentiam illam non *humano operi tribueret sed divino*, ita subjicit: *Ipsius namque corporis, quod est infimum nostrum, si qua bona sunt, sicut forma, & vires, & salus, & siquid eiusmodi est, non sunt nisi ex Deo creatore, a perfectore naturæ: quãto magis animi bona donare nullus alius potest? Quid enim superbius vel ingratius cogitare potest humana vecordia, si putaverit, cum carne pulchrum faciat Deus hominem, animo castum ab homine fieri?* Et in illo libro quarto contra Iulianum jam citato cùm docuisset judicio Dei esse tribuendum, quòd aliquis *mala naturalia*, ut libidinis, iracundiæ &c. *magis minusve perpetitur*, ad comprimendum Iulianum, qui Philosophos Ethnicos solâ suâ voluntate sibi virtutes peperisse statuebat: *Quanto ergo*, inquit, *tolerabilius illas, quas dicis in impijs esse virtutes, divino muneri potius quam eorum tribueres tantummodo voluntati!* Et paulo antè: *Quanto satiùs hæc ipsa in eis dona Dei esse fateretur, sub cuius occulto iudicio nec iniusto alij fatui, alij naturâ leves, alij spadones &c.* Hinc est quòd in eodem loco illud ipsum opus bonum, seu potiùs illud officium bonum etiam tum cùm ab infidelibus malè fit, divino muneri asseribit. Dicit enim, hoc esse *Dei opus bonum, a quo etiam per malos fit bonum. Ac per hoc nec eius* (hominis infidelis) *iste fructus dicendus est.* Cujus igitur, si non hominis infidelis, qui illud facit? *Sed potius bonum opus est illius*, inquit, *qui etiam per malos bene facit.* Et in eundem sensum iterum: *Ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius qui benè utitur malis.* Sicut igitur ex hoc quod illa opera bona, quæ infideles malè faciunt, divino muneri Augustinus tribuit, perperam colligitur, illa esse opera sine omni labe peccati, cùm ipsemet contrarium in eodem loco tradat; ita perperam colligitur, continentiam Polemonis vel cuiuscunque infidelis opus bonum esse omnis labis expers eo quòd Augustinus illud munus, aut donum Dei, aut Dei opus nuncupet. Deus enim sæpiùs bona operatur, etiam non benè operantibus illis per quos operatur.

Lib. 4. cont. Iul. c. 3.

Epist. 130.

Lib. 4. cont. Iul. c. 3.

Nec vero ex istis phrasibus Augustini suspicetur aliquis eum hujusmodi opera nonnulla Philosophorum divinæ gratiæ quæ bonas voluntates facit, asseribere. Deus enim multis modis motus animi & opera quædam quasi

bona in huiusmodi hominibus, itemque peccatoribus Christianis facit quæ tamen non per illam gratiam facit, quæ ad opera verè & omni ex parte bona necessaria est. Quædam enim operatur, animum terrore percellendo, eumque à malo proposito revocando; quædam, alia nonnulla terrena & innoxia bona proponendo; quædam, concupiscentias mitigando, diabolum compescendo, animum divertendo, alijsque plurimis & occultis modis. Qui de re prælare in homilia de muliere peccatrice, ut ostenderet esse debere gratum Deo, quod peccata non ita multa etjam in incredulitate commiserit, eo quod & istud sit donum Dei: *Adulter non fuisti in illa tua vita præterita, plena ignorantia, nondum illuminatus, nondum bonum malumque discernens, nondum credens in illum, qui te nescientem regebat: Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, servabam te mihi, ut adulterium non commiteres: suasor defuit; ut suasor deesset ego feci. Adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus; ut non consentires ego terrui. Agnosce ergo gratiam eius, cui debes & quod non admisisti &c. Nullum est enim peccatum quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit rector à quo factus est homo.* Sunt ergo istiusmodi magna Dei beneficia ac dona, quibus homo à multis gravissimis pœnis liberatur, sed non ex illa occulta gratia proficiscuntur, quæ voluntatem ex mala facit bonam, & ab initio fidei dari incipit. Vnde non propterea desinunt ista opera cum peccato fieri, non quatenus fiunt in homine sive suadente, sive terrente, sive alijs modis movente Deo; sed quatenus ex humanæ voluntatis defectu non fit in eo plenè bonum, voluntate adhuc alicujus creaturæ, sive sui-ipsius, sive alterius cupiditate possessà, qua fit, ut quamdiu infidelis permanet, non illud in eum finem referat, quo referre tenebatur.

Hom. 23. cap. 6.

Quæ si vera sunt, sicut sunt ex Augustini mente verissima, jam non erit difficile alia nonnulla loca intelligere, quæ non satis perspecto doctrinæ sanctissimi Doctoris filo à nonnullis objiciuntur. Inter, quæ in primis est, quòd cùm Cælestius, ut probaret non esse divinæ misericordiæ ut aliquis velit, illum Apostoli locum afferret, *Quod vult faciat*: ubi videlicet de nubendo sermo erat, Apostolo subjiciente: *Non peccat, si nubat*; *Quasi*, inquit Augustinus, *pro magno habendum sit velle nubere, sibi de adiutorio divinæ misericordiæ operosius disputatur.* Quibus verbis non hoc vult, quod sine gratia possimus velle nubere sine peccato; sed hoc, quòd non recte Cælestius impugnet gratiæ necessitatem, ex eo quod mulier possit sine gratia *velle nubere*. Quis enim dubitet non esse opus gratiâ, ut virgo nubere velit, cùm hoc & plurimi peccando velint? Ad hoc ipsum tamen opus naturæ, providentiam naturę congruam Augustinus postulat: *Aut vero etiam ibi prodest aliquid velle, nisi Deus providentiâ, quâ gubernat omnia, marem fœminamque coniungat.* Nimirum juxta principium ejus jam aliquoties inculcatum, quo & a *commixtio* Adulterorum,

Lib. de perf. iust. c. 19.

Ibid.

a Lib. 3. cont. Iul. c. 7.

A & b *copula* maris & fœminæ infidelium, & ipsa *officia bona*, quæ ab infidelibus cum peccato fiunt, sunt opera Dei bona per homines malos. Neque quicquam refert, quòd Apostolus addat: *Non peccat, si nubat*: objectum enim actus explicat, non quaslibet circumstantias, quæ ab animo nubentium apponi possunt ac solent. Hâc phrasi ibidem dicit Apostolus: *Bonũ est mulierem non tangere*, nec tamen ideo statim sine peccato non tangitur, ut nimis notum est: *Quidam enim non attingunt etiam uxores suas, dum quasi mundi per magicas artes pervenire ad uxores moliuntur alienas.* Hâc phrasi & Augustinus docet, amores hominum, quibus parentes, uxores, liberi, ceteræque carnis necessitudines diliguntur, esse licitos; quamvis non propterea statim ille amor quandocunque fit sine peccato exeratur. Solùm enim istis loquendi modis declaratur, amorem ex objecto esse licitum; imo ita præceptum, ut reprehendendus B ille sit, qui tali amore caret, non tamen statim laudandus qui non caret. Vnde dividit amorem licitum contra illicitum qualis est meretricum: *Charitas alia est divina, alia humana: alia est humana licita, alia illicita &c. Licitam charitatem habere, humana est; sed, ut dixi, licita est. Non solum autem licita est ut concedatur, sed ita licita, ut si desuerit reprehendatur. Licetat vobis humana charitate diligere coniuges, filios, amicos &c. sed videte istam charitatem esse posse & impiorum, id est, Paganorum, Iudæorum, hæreticorum. Qui enim eorum non amat uxorem, filios &c. Si ergo ali quisque crudelitate feretur, ut perdat etiam humanum dilectionis affectum, & non amet filios suos, & non amet coniugem suam, nec inter homines numerandus est. Non enim laudandus est, qui amat filios suos, sed damnandus est, qui non amat filios &c. Et feræ amant filios: amant filios aspides &c. Ergo qui non amat filios suos, etiam leone peior est.* Similia tradit C Homilia trigesima octava, ubi illum licitum amorem *carnalem* vocat; in loco præcedente *secularem*: *Amate filios vestros, amate coniuges vestras, etsi secularitet. Nam secundum Christum amare debetis, ut secundum Deum illu consulatis.* Amores igitur isti etiam carnales dicuntur liciti, imo tam severè præcepti, ut eos non habere sit illicitum. Detestandus est enim, qui non amat conjugem suam & filios suos, eis beneficia conferendo, quamvis carnalia. Sed non negatur istis phrasibus aliquid amplius hic & nunc adesse debere, ut actus amoris omnino sine peccato omni ex parte fiat.

Lib. 1. c. 8. cap. 19. Lib. 2. c. 1. Iul. c. 3.

August. cont. Iul.

Hom. 36.

Serm. 51. de temp.

Quando enim duo ad actum aliquem omnino requiruntur ut bonus sit, officium & finis; hoc est, actus bonus, & rectus animus facientis, rectissimè dicimus, utrumq; esse licitum, utrumque præceptum. Non tamen idcirco putari debet, cùm alterum seorsim adhibetur neglecto altero, non peccari. Non enim peccatur, quia adest officium bonum: peccaretur D enim potiùs, si non adesset; sed quia deest finis bonus, seu intentio bona. Sic nunquam aliquis reprehendi debet, quòd diligit filios suos (vituperandus est enim, qui non diligit) sed vituperandus est, qui non recti vel debiti

finis

finis intentione diligit. Bonum enim ex integra causa nascitur; ex singulis defectibus malum: quamvis non propterea reprehendi debeat id quod superest bonum, propter id quod ei adjungitur malum, dum male fit bonum. Pejus enim esset, longeque culpabilius, si non fieret. Ideoque non solùm Catholici, sed & hæretici & Pagani monendi, rogandi, jubendi, A cogendi sunt, ut hujusmodi bona faciant; etsi ex defectu veri finis semper malè facerent. Longè quippe vituperabiliùs delinquerent, si non facerent. Nam laude dignum est id facere quod tenemur: sicut vituperatione dignum, finem prætermittere cujus intuitu præstare jubemur.

## CAPVT SEXTVM.

### Alia nonnulla loca Augustini explicantur.

Lib. de Patient. c. 16. HOC igitur sensu etjam Augustinus docet, *Nullo modo culpandam, imo verò & laudandam esse patientiam*, quâ schismaticus quispiam pericula, gladium, ipsamque crucem patitur, ne Christum neget. Causam enim reddens, cur sit laudanda ista patientia, non dicit, quia omni ex parte bona est, sed quia *dicere non poteramus, nullum ei fuisset, ut Christum negando illud eorum patiretur, quæ passus est confitendo.* Satis enim indicat, non alia ratione esse laudandam, cùm ipsa *est aliquid producere-tentus si non datur ultra.* Bonum est enim & laudabile, veritatem agnitam nec tormentis diffiteri: etsi malum sit, non recto fine & amore confiteri. Talis enim confessio veritatis, cùm à schismatico non fiat, ut supponit Augustinus, amore veritatis seu Dei, necesse est ut timore pœnarum fiat: qui quando solus est, juxta Augustinum non potest producere opus verè bonu cùm vel B animi elatione, vel alia prava cupiditate exprimatur. Quod ibidem satis ipse declarat: *Timore*, inquit, *pœnarum æternarum pœnas patitur temporales.* Et ibidem: *Ipsam patitur crucem timore gehennarum, & ignis æterni.* Et paulo post Ibid. c. 23. indicat in talibus hominibus esse *fucem, quæ per elationem vel timorem*; non *eam quæ per dilectionem operatur.* Et idcirco sicut de Fabricio & similibus Romanis bene operantibus contra Iulianum, ita & hic de talibus *existimandum esse* Ibid. c. 16. dicit, *fortasse tolerabilius eis fuerunt iudicium, quam si Christum negando cuncta illa tormenta vitarent.*

Facilè quoque intelligitur ex ijs quæ ante diximus, quo pacto talem patientiam doceat esse *donum Dei.* Quis enim ambigat dici debere donum Dei, si timore ab ingentibus sceleribus revocetur? Non solùm enim gravissimas futuræ vitæ, evadit pœnas, sed & animus quamvis impius minus amore scelerum impli- C catur, quorum delectatione fraudatur, Deo non tradente illum in concupiscentias cordis eorum, juxta illud præclarissimum Augustini: Ps. Psal. 9. *Cum fraudulentam actionem consecuta fuerit delectatio, cum eos tradiderit Deus in concupiscentias eorum, tam illa delectatio alligat eos, ut inde abrumpere amorem & ad utilia conscire non audeat: quia cum conati fuerunt, dolebunt animo, tanquam pedem de compede exuere cupientes. Cui dolori succumbentes a perniciosis delectationibus nolunt abscedere.* Magnum est ergo donum Dei etjam terroribus, timoribus, castigationibus, à sceleribus perpetrandis averti; donum tamen, quod non necessariò animi mutationem à malo ad bonum secum trahit. Hoc enim donum non fit nisi internâ gratiâ, qua Deus operetur & velle: illud verò externa vel admonitione vel comminatione, sive boni alicujus commutabilis & innoxij, amittendi timore, vel assequendi desiderio: quorum neutrum postulat motum voluntatis omni ex parte bonum. Donum est igitur, non quod filijs & hæredibus datur, quorum voluntas ut operetur opus bonum necessariò antè fieri debet bona; sed quale filijs concubinarum, hoc est, exhæredatis Abraham dedit, sicut Augustinus ibidem tradit. Hujusmodi enim dona Dei sunt omnia omninò, quæ præter voluntatem bonam, hoc est, dilectionem veri boni Deus infidelibus tribuit, *celeritates, vires, bonæ valetudines, & pulcritudines corporum, ingenia mirabilia, & multarum artium capaces naturæ mentium*, variæ propensiones bonæ seu minus malæ; quæ *medicaudent tribuere temperationibus corporum, vel quæ accedunt extrinsecus, ut ejs opulentia, nobilitas, honores, & cetera huiusmodi, quæ quisque ut habeat, non nisi in Dei est potestate.* Denique quodcunq; aliquis, Deo suasionibus, admonitionibus intrinsecus vel extrinsecus animu pulsante, vel terroribus impellēte, vel alijs occultis modis regente, ante fidem acceptam minus malum facit, vel operari videtur bonum. Totum enim istud est *Dei opus bonum, a quo etiam per malos fit bonum*, etiam tunc cùm infideles *non bene faciunt bonum.*

Lib. de corrept. & grat. cap. 8. Lib. 4. contra Iul. c. 3. Lib. de corr. citato.

Hæc ostendunt, quam parvi momenti sit etjam istud quod Augustinus dicit de Rege Assuero, quod Deus juxta Scripturas *Transtulerit indignationem eius in lenitatem.* Ex quo contra Pelagianos concludit: *Intueantur atque fateantur non lege atq; doctrina insonante foris, sed interna atque occulta mirabili atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solum veræ revelationes, sed etiam bonas voluntates.* Nam translatio illa cordis, quæ divinâ internâque potestate facta est, non aliud fuit quam id quod Regina poposcerat, ut scilicet *Deus transferret cor illius in odium hostis*, seu ab indignatione ad lenitatem; hoc est, ut Augustinus expomit, *de voluntate lædendi ad voluntatem favendi.* Ex quo non video, qua ratione conficiatur, illam ejus voluntatem fuisse omni ex parte bonam; cùm nihil aliud probet, quàm id in eo factum

Lib. de Gratia Christi c. 24. Hester 14. Lib. 1. ad Bonif. cap. 20.

eo factum esse, quod quotidiana experientia in hominibus impijssimis docet fieri, ut voluntates eorum varijs fluctibus reciprocentur ex una in aliam voluntatem, dum his irati, illis placati fiunt; illis nocent istis favent, Deo hoc sæpènumero operante, quamvis eorum voluntates huc illuc non nisi terrenorum bonorum cupiditate, malorumque timore torqueantur. Nec aliud ex ea conversione probat Augustinus, nisi quod Deus non tantùm extrinsecus, vel intrinsecus manifestet etjam impijs hominibus veritatem; sed etjam *cor* ipsum *occultissimâ & efficacissimâ potestate convertit*, sicut ea de re loquitur. Quod si istud de terrenis illis voluntatibus impiorum hominum facit quanto magis credendus est internâ atque occultâ, mirabili atque ineffabili potestate operari in cordibus hominum non solùm veras revelationes, sed etjam bonas voluntates: quemadmodum Augustinus in libro de gratia Christi loco citato à minori ad majus ducta ratione concludit. Non enim insolitum Augustino est, operationem gratiæ in cordibus hominum similitudine operationis, quâ Deus corda terrena huc illuc torquet quo voluerit ad præstanda quibusdam carnalia beneficia vel supplicia, illustrare & credibilem facere. Sic enim libro de gratia & libero arbitrio cùm instantissimè toto libro divinæ gratiæ vim ad mutanda corda potestatemque commendasset, tandem ad operationem illam generalis providentiæ delabitur, quâ voluntates terrenas regit, unumque peccatum etjam altero velut pœnâ plectit. *Quæ Scriptura*, inquit, *si diligenter inspiciatur, ostendit non solùm bonas hominum voluntates quas ipse facit ex malis &c. Verum etiam illas, quæ conservant seculi creaturam, ita esse in Dei potestate ut eas quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibusdam præstanda, vel ad pœnas quibusdam ingerendas, sicut ipse iudicat occultissimo quidem iudicio, sed sine ulla dubitatione iustissimo. Nam invenimus aliqua peccata etiam pœnas esse aliorum peccatorum.* Deo videlicet occultissimis modis operante. Et sub isto genere providentiæ & internæ operationis ponit illam ipsam conversionem cordis Regis Assueri, de qua disputamus: quæ quamvis fuerit ex objecto bona, nequaquam tamen probatur fuisse bona ex omnibus circumstantijs etjam finis: multòque minùs hoc probat quod eam Deus occultissima potestate operatus est. Sic enim etjam mirabili occultaque potestate mutat corda Tyrannorum nihil nisi dominationem suam affectantium, sive faciant aliquid ex objecto bonum, sive malum; sive alicui nocent sive faveant: sic operatur intus non solùm per patientiam, sed etjam per potentiam, ut Augustinus loquitur, ut unum peccatum altero tanquam supplicio puniatur: nec tamen idcirco peccatum est opus bonum, etjamsi pœna sit opus bonum.

*Ibidem.*

*Lib. de grat. & lib. arb. c. 20.*

*Ibid. c. 21.*

Vrgetur & iste locus ex expositione quarundam propositionum Epistolæ ad Romanos: *Liberum ergo arbitrium perfectè fuit in primo homine; in nobis autem ante primam gratiam non est liberum arbitrium ut non peccemus, sed tantum, ut peccare nolimus. Gratia vero efficit, ut non tantum velimus rectè facere, sed etiam possimus.* Hic, inquiunt, tribuitur homini affectus non peccandi ante gratiam, qui sanè honestus est, & ex cogitatione pravitatis peccati, vel honestatis virtutis procedit.

*Ex expos. quarund. Propos. Epi. ad Rom. n. 18.*

Respondetur, qui hoc objiciunt, attendere debuissent, in eodem illo libro à sancto Augustino dici: *Tunc enim* (ante gratiam) *peccatum vincitur, dum viribus suis iustè vivere conatur sine adiutorio liberantis gratiæ Dei. Liberum autem arbitrium habet, ut credat Liberatori, & accipiat gratiam, ut tam, illo qui eam donat liberante & adiuvante, non peccet.* In eodem & istud dici: *Non ergo elegit Deus opera cuiusquam in præscientiâ sed fidem elegit in præscientia; ut quem sib. credituros esse præscivit, ipsum elegerit, cui Spiritum sanctum daret, ut bona operando &c.* Itemque istud in eodem libro: *Quod ergo credimus, nostrum est: quod autem bonum operamur, illius est qui credentibus in se dat Spiritum sanctum.* Et istud consequenter: *Quod si vocatus ad fidem, vocantem secutus fuerit, quod tam est in libero arbitrio, merebitur & Spiritum sanctum per quem bona possit operari.* Nam in omnibus istis locis idem significat; hominem videlicet ante gratiam ex peccato eatenus vulneratum esse, ut non possit benè operari; & à peccatis temperare; mansisse tamen aliquid virium in libero arbitrio, quo possit saltem credere, & velle non peccare & bene operari; propter quam fidem, beneque vivendi voluntatem, Deus ei conferat spiritum sanctum, quo reipsa non peccèt, & benè operetur. Nam ideo in eodem ipso loco utrumque tam credere quam velle conjungit: Cùm enim dixisset: *Non ergo elegit Deus benè operantes, sed credentes potiùs, ut ipse illos faciat benè operari:* pro ratione subjungit: NOSTRVM EST ENIM CREDERE, ET VELLE; *illius autem dare credentibus & volentibus facultatem benè operandi per Spiritum sanctum.* Et iterum paulo interiùs: *Non tollit libertatis arbitrium; sed non sufficere dicit velle nostrum, nisi adjuvet Deus, miseratcordes nos efficiendo ad benè operandum per donum Spiritus sancti.* Hæc ergo & hujusmodi loca si recentiores isti attenderent, intelligerent sanè, ex errore Semi-Pelagiano, quo sanctus Augustinus ante suscepti sacrum Episcopatus laborabat, ista promanasse. Istius enim erroris proprium fuit, ut suo loco fusè demonstravimus, quod homo ante gratiam ex primævæ felicitatis reliquijs posset credere, & velle non peccare & bene vivere; quæ tamen voluntas propter imbecillitatem esset adjutorijs gratiæ liberatricis adiuvandâ, ut id quod benè vellet etjam reipsa posset efficere. Sed Augustinus errorem istum Deo revelante dedoctus, postea constanter docuit, initium bonæ voluntatis à fide proficisci: Fidem autem per Spiritus sancti gratiam divinitus non minùs quam opera inspirari. Nam ideo illa ipsa loca, quę citavimus, retractando correxit. Siquidem illum quem produximus sibi proponens: *Quod ergo credimus nostrum est &c.*

*Ibid.*

*Ibid.*

*Ibid.*

*Ibid.*

*Lib. 2. c. 5.*

corrigendo

corrigendo subjungit: *Profectò non dicerem, si iam scirem, etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri.* Et illum itidem à nobis allegatum de bona voluntate: *Nostrum est enim credere & velle; illius autem dare credentibus & volentibus facultatem benè operandi*; emendando corrigit in hunc modum: *Verum est quidem, sed eâdem regulâ & utrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem; & utrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis.* Vides hic apertissimè etiam ipsam bene vivendi seu non peccandi voluntatem, qui affectus moralis honestus recentioribus esse videbatur apertissimè divinæ gratiæ retractando tribui. Quanto igitur magis alia quæcunque, quæ videntur esse opera bona, ad eandem illam gratiam referenda sunt, si illa exigua initia divinæ gratiæ adjutorijs vendicari debent?

Ibidem.

Postremus locus est ex libro de spiritu & littera, ubi Augustinus dicit: *Impiorum nec Deum verum veraciter iusteque colentium quædam facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum iustitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito rectèque laudamus: quamquam si discutiatur quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ iustitiæ debitam laudem defensionemque mereantur.* Et infrà dicit: *Sicut enim non impedimur à vitâ æternâ iustum quædam peccata venialia, sine quibus hac vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliquæ opera bona, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis ducitur.* Quibus duobus locis videtur quædam opera bona in infidelibus agnoscere. Quamvis enim ex fine spectata vix laudem justitiæ mereantur, hoc ipso tamen fateri videtur, esse aliqua vel esse posse bona etiam ex parte finis.

De spir. & litt. c. 27.

Ibid. c. 28.

Hic locus, quem plerique præcipuum putant, nihil revera stringit; sed duobus modis solui potest. Primus est, ut dicatur Augustinus ex quadam suppositione & concessione loqui, ut inter disputandum fieri solet. In quo genere non necesse est, esse verum id quod adversario ex aliorum sententia veritatis illustrandæ causâ concedimus. Quod ut evidentiùs pateat, sciendum est in illo loco Augustinum ex professo disputare, totisque viribus asserere, in hoc Testamenti veteris ac novi discrimen esse positum, quod *lex ibi in tabulis, hic in cordibus scribatur, ut quod ibi forinsecus terret, hic delectet interiùs.* Cui doctrinæ objiciebatur Apostoli locus, quo dicit ad Romanos, *gentes naturaliter ea quæ legis sunt facere, habentes opus legis scriptum in cordibus suis.* Sed respondet primò ex propria sententia, totoque capite vigesimo sexto probat, Apostolum loqui de gentibus jam credentibus atque justificatis, quæ proinde participes factæ sint Testamenti novi: dicunturque legem facere naturaliter; *non quod per naturam*, inquit, *negata sit gratia, sed potius per gratiam reparata natura.* Post hanc veram & propriam Augustini solutionem subjicit aliam, etiam juxta propriam adversariorum (id est, Pelagianorum) intelligentiam, qui locum illum exponere solebant de gentibus infidelibus, quas abundare putabant, sicut supra ex Iuliano audivimus, multis operibus verè bonis. Hoc igitur concesso sensu istius loci adversarijs, ostendit nec inde perturbari discrimen utriusque Testamenti, quod toto libro inculcaverat. Nam quia illa opera percata sunt, satis indicatur non omnino deletum esse ex animo id quod ibi vi creationis impressum erat, & proinde adhuc per gratiam novi Testamenti in cordibus istarum gentium per renovationem esse scribendum id quod non omnino vitiorum vetustate deletum est. Sic ergo isto sensu tota illa disputatio conditionalis esset, & ex suppositione, quæ non tanquam vera conceditur, sed ostenditur dumtaxat non repugnare differentiæ veteris Testamenti ac novi. Verba quibus hoc agit Augustinus ex aliorum sensu ista sunt; *Si autem hi, qui naturaliter quæ legis sunt faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum quos Christi iustificat gratia; sed in eorum potius, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter iusteque colentium, quadam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum iustitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito rectèque laudamus; quamquam si discutiatur quo fine fiant, vix inveniuntur quæ iustitiæ debitam laudem defensionemque mereantur. Verumtamen quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis vel sapere: si hoc est quod dictum est, quia gentes quæ legem non habent hoc est, legem Dei, naturaliter quæ legis sunt faciunt &c. etiam sic illa differentia non perturbabitur, quâ distat a veteri Testamentum novum.* Et infrà iterum sub eadem conditione atque concessione: *A cuius gratia si alieni sunt illi, de quibus agimus* (id est, gentes illæ) *qui secundum illum modum, de quo superiùs satis diximus, naturaliter quæ legis sunt faciunt, quid eis proderunt excusantes cogitationes* (propter illa bona opera, quæ dicebantur facere naturaliter) *in die, quæ iudicabit Deus occulta hominum, nisi forte ut mitiùs puniantur? Sicut enim non impediunt &c.* quæ superius allegavimus. Iuxta hunc igitur intelligendi modum, qui nonnullis placet, nihil omnino totus ille locus probat ad asserenda opera verè bona infidelium cùm non ex Augustini sensu, sed Pelagianorum ista omnia concedantur, quæ concessa nihil Augustini proposito repugnabant. Quæ solutio si cui placet, per me licet; verbis enim Augustini conditionatis satis congruit.

Lib. de spirit. & litt. c. 27.

Ibid. c. 27.

Ibid. c. 28.

Arbitror tamen aliam veram totius loci esse solutionem, & constanti doctrinæ Augustini, quam ut vidimus, alibi diversis locis tradit, consonantiorem. Respicit enim Augustinus illam doctrinam suam, quâ tradit alibi contra Iulianum, in opere verè & plenè bono duo esse spectanda, officium & finem. *Officium est*, inquit, *quod faciendum est: finis verò propter quod faciendum est.* Iam verò phrasis ejus est ut vocet bonum, & opus bonum ipsum officium, seu id quod faciendum est, hoc est, ut nos loquimur, ipsum actum materialem ex parte

Lib. 4. cap. 3. Ibid. c. 3.

ex parte solius objecti consideratum, qui lege praecipitur; idq; non solum, quando talis actus etjam ex fine bonus est, sed etjam tunc quando ex fine malus est. Nam cùm Iulianus multa bona officia recensuisset nullum opetire, periclitantem liberare, ægri vulnera tovere &c.

Ibid. Respondet ei Augustinus: *Quæro abs te, utrum* HÆC OPERA BONA *bene faciat an malè?* Ecce bona opera vocat officia, Et mox clariùs: *Si enim quamvis* BONA, *male tamen facit, negare non potes, eum peccare qui male quod libet facit.* Et iterum: *Sed quia eum non vt cum facit ista peccare, procul dubio dicturus es, &* BONA *facit & bene facit:* Et aliquanto antè: *Quid quid autem boni sit ab homine, & non propter hoc sit &c.* Et infrà rursus: *Possunt ergo aliqua bona fieri, nam bene facientibus à quibus fiunt:* de quibus mox dicit, quod *non bene* BONVM *faciunt*; & similia sæpiùs in eadem disputatione repetit. Qua de re etjam nonnihil suprà diximus. Ex hoc ergo sensu & phrasi Augustini, facile cuncta objecta dissolvuntur. Vocat enim opera bona impiorum in vita impia, factaque secundum justitiæ regulam meritò laudanda, non opera etjam ex parte finis bona sed ipsa officia quæ lege præscribuntur, & à multis infidelibus maximèque Romanis facta sunt. Nam hinc est quod dicit, eos in impietate vitæ suæ *facere aliqua legis vel sapere:* item, *legitimum aliquid sentire & facere:* ut ita significaret, se de officijs bonis lege præscriptis loqui. Quæ propterea ibidem apertiùs vocat, *quantulacunque legis, opera naturaliter insita.* Hujusmodi ergo opera bona seu officia bona gentilium, non necessariò erant omni ex parte etjam finis bona: ut propterea Augustinus dicat, officia à finibus apertissimè discernens, & se de officijs tantum bonis locutum esse significans; *Quamquam si discutiatur quo fine fiant, vix inveniantur, quæ justitiæ debitam laudem & eximemque mereantur.* Nam quod dicit; *vix inveniri*, non significat aliqua inveniri, sed operosissimam scrupulosissimamque quæstionem tunc aggredi nolens à re controversa se abstinuit, quam postea latissimè tractare conatus fuit: modesto tamen verbo reique difficultatem exprimente satis indicavit ijs qui doctrinam ejus imbibissent, se nulla in infidelibus opera verè bona ex officio simul & fine constituere. Nam isto loquendi modo solent homines vulgò cum adversario disputantes de re quam probare non potest modestè dicere, difficulter invenies argumentum quo hoc probes. Et Augustinus ipse inducit Evodium de re certissima dicentem: *Nescio an nulla culpa sit, relicto incommutabili bono ad commutabilia converti.* Nam cum eum Augustinus premeret, quasi id reprehendentem quod nesciret: *Ita, inquit, dixi, nescio an nulla culpa sit, ut intelligi voluerim, sine dubio culpam esse.*

Lib de spirit & litt. c. 28.

Cap. 27.

Lib 3. de lib. arbit. c. 1.

Bellarm. lib. 5 de grat & lib. arbit c. 9

Denique objicit alius vir eruditus id quod August. dicit libro quinto de Civitate Dei capite decimo quinto, Deum dedisse Romanis tam amplum imperium, ut remuneraret in hac vita bonas eorum virtutes. Illæ virtutes certe, inquit, in infidelibus erant, & virtutes non vitia erant, nisi Deum remuneratorem vitiorum (quod est absurdissimum) faciamus. Ita ille. Respondetur, neminem suæ mentis meliorem interpretem esse posse quàm Augustinum, qui sejunctim in eodem loco ita explicat, ut mirum sit ab homine docto hoc opponi potuisse. Docet enim ex professo & prolixissimè, virtutes Romanorum omnes humanæ laudi ac gloriæ servijsse, & idcirco non fuisse virtutes, sed vera vitia virtutis imagine palliata: *ipsa laudis avidita & cupido gloriæ multa illa mirandaa fecit*, laudabilia scil cet atque gloriosa secundum hominum existimationem. Has Romanorum virtutes ex Sallustio vocat *bonas artes* quibus nitebantur ad virtutis *sinem, id est, ad gloriam, honorem, imperium. Vnde*, inquit, *intelligi potest, quem finem volebant esse virtutis, & quo eam referebant, qui boni erant ad honorem scil ce.* Quem scopum virtutis ipsamque virtutem improbans statim dicit: *Gloriam ergo, & honorem, & imperium, quæ sibi exoptabant, & quo bonis artibus pervenire nitebantur boni, non debet sequi virtus, sed ipsa virtutem.* Et paulo post: *Sanctus videt, qui & amorem laudis vitium esse cognoscit.* De talibus ergo Romanorum virtutibus seu bonis artibus pronuntiat cõsequenter August. id quod nunc objicitur pro bonis operibus infidelium: *Si Deus neque hanc eis terrenam gloriam excellentissimi imperij concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, id est virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur. De talibus enim, qui propter hoc boni aliquid facere videntur, ut glorificentur ab hominibus, etiam Dominus ait: Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam.* Si nihil omnino adderet Augustinus nisi hæc ipsa verba, ex quibus argumentum quod objicitur excerptum est, meritò debebant aliquem deterrere ne locum illum ad opera bona Romanorum imaginanda detorqueret, cùm expresse dicat, bonas illas artes, hoc est, virtutes, quibus Deus excellentissimum concessit imperium, humanæ gloriæ servijsse, & idcirco veris Domini Salvatoris esse reprobatas. Cùm verò toto disputandi conatu etjam asserat, eas propter illam causam fuisse vera vitia; quam speciem probabilitatis hoc argumentum habere potest, ut Augustinus in isto loco putetur vera opera bona infidelibus tribuisse? Merces ergo talium artium imperium fuit phrasi Christi, quam ibi sequitur & citat Augustinus, & qua dixit de hominibus propter humanam gloriam operantibus, *Amen dico vobis receperunt mercedem suam* Vnde similiter adijcit de Romanis: *Sed his omnibus artibus tanquam veræ viæ* (phralis & sensus est Sallustij) *nisi sunt ad honores.* En Romanæ virtutis indolem & bonitatem; *imperium gloriam: Honores sunt in omnibus fere gentibus, imperij sui leges imposuerunt multis gentibus &c. non est quod de summis & veri Dei justitia conquerantur; perceperunt mercedem suam.* Ecce cujus virtutis merces fuit imperium; nimirum aviditatis gloriæ: quæ si veræ virtutis actus est, veram etjam virtutem, & verum opus bonum in infidelibus fuisse concedimus. Sed quia tanta est Dei sapientia, ut nove-

Lib. 5. Civ. c. 12.

Ibid.

Cap. 13.

Cap. 15.

Ibid.

Lib. 5. c. 16.

Lib. de lib. arbit. c. 1.

ut noverit officia bona à fine discernere; hinc ejus bonitas novit etjam temporalia nonnulla bona, talibus officijs bonis retribuere, quantumvis alio temporali fine vitientur. Sic enim, quod æquè mirum est, etjam obstetricibus benefecit mentiendo benefacientibus. Nimirum benevolentia quæ in eodem facto fuit, non fallacia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis remunerata fuit. Objectionem quæ ex natura rei, hoc est, ex ratione virtutis moralis petitur, infrà, ubi de virtutibus infidelium disputabitur, dissoluemus.

Hæc, ut opinor, satis perspicuè declarant, quàm inania sint, quæ pro bonis operibus infidelium ex Augustino adversùs Augustinum proferuntur. Neque enim aliud sunt, nisi testimonia quædam suis locis evulsa, quæ totam probandi vim habent ex minùs perspectis Augustini phrasibus atque sensu: quæ quisquis ex accuratâ ejus lectione doctrinæque seria discussione paulo familiarius noverit, videt A in omnibus mirabilem non solùm totius doctrinæ, sed etjam locutionum consonantiam: Neque sine magna absurditate loca paucula hinc inde corrasa, in quibus nihil apertè contrarium dicitur, sed ceteris ejus lucubrationibus collata prorsus consonant, totius doctrinæ moli, quam apertissimè, sæpissimè, constantissimèque tuitus est, velut contraria opponi. Quid enim iniquius, quàm doctrinam manifestissimam omnibus concertandi viribus assertam, ex obscuris imo revera consonantibus locis velle corrigere, & ad opiniones hujus temporis detorquere? Quod eo intolerabilius videri debet, quod non solùm discipuli, qui sanctum Augustinum consecuti sunt, ejusque doctrinam defenderunt, sed etjam adversarij, à quibus oppugnata est, illam à se sic quemadmodum nos explicuimus intellectam esse declararunt. Quod jam deinceps ostensuri sumus.

## CAPVT SEPTIMVM.

### Eandem doctrinam sic intellectam tradiderunt discipuli sancti Augustini Prosper, & Fulgentius, & ipsi Pelagiani in Augustino agnoverunt.

ET quidem quid sanctus Prosper de A operibus infidelium sentiat, ex superioribus satis evidenter claruit, ubi multa ejus testimonia protulimus, quibus sine Deo non nisi in perniciem & in peccatum arbitrium hominis moveri dicebatur. Vbi est autem magis sine Deo & auxilio ejus, quàm ubi & ipsa deest fides, à qua incipit gratia bonæ voluntatis, sine qua nihil omnino boni juxta sanctum Augustinum fieri potest? Quibus adde & id quod libro tertio
Lib. 3. c. 1. de vita contemplativa dicit: *Hæc etsi possunt humano ingenio discerni, tamen sine dono Dei, quantum mihi videtur, nec virtutes possunt appeti vel haberi, nec earum similitudines, quæ sunt vitia virtutes mentientia, declinari: in tantum ut infidelibus nihil profuisse credamus, etiamsi sint aliquas per corpus virtutes* (id est, virtutum opera) *operati: quod eas nec à Deo suo se accepisse crediderunt nec ad eum, qui est finis omnium bonorum, referre voluerunt. Et quid dico, nihil eis profuerunt? Imo etiam nocuerunt, dicente Apostolo: Omne quod non est ex fide peccatum est. Non dixit: Omne quod non est ex fide, nihil est: sed dicendo: Omne quod non est ex fide peccatum est, declaravit, quod omnia bona aut ex fide gesta virtutes sunt*, id est, opera virtutum, & bona, *quæ profectò justificant; aut si fuerint sine fide, non sunt aliqua bona credenda, sed vitia, quæ non juvant suos operarios, sed condemnant, inflatosque præcipitant, atque à finibus æternæ salutis eliminant. Sed quid ego hæc de infidelibus, unde nullus ambigere videtur, exaggero?* Si meis verbis exprimere voluissem sententiam, quam Prosperi & Augustini esse tradidi, non potuissem eam apertius & ab omni ambiguitatis nubilo tersiùs proponere. Clarissimè quippe dicit, omnia infidelium opera esse peccata; non metaphorica, non latè sumpta, sed propriissimè dicta, utpote quæ non modo non prosunt, sed etjam nocent: non esse bona, sed vitia: condemnare operarios; à finibus æternæ salutis eliminare. Neque causam silet, quam toties inculcavit Augustinus, quia non ad finem bonorum omnium referre voluerunt. Hanc doctrinam de infidelibus ita certam esse docet, ut de illa *nullus ambigere* videatur. Ex qua perspicue admodum declaratâ sententiâ suâ dicit & alibi:
B *Omne quod non est ex fide peccatum est: ut scilicet intelligat, iustitiam infidelium non esse iustitiam*, id est, opus justum seu bonum infidelium, non esse verè bonum; *quia sordet natura sine gratia.* Epist. ad Bonif.
Et in carmine illo præclaro de ingratis:

Lib. de ingr. c. 16.

*Omne etenim probitatis opus, nisi semine veræ*
*Exoritur fidei, peccatum est, inque erratum.*
*Vertitur, & sterilis cumulat sibi gloria pœnam.*

Lib. 1. de Vocatione gentium c. 7.

ET libro primo de vocatione gentium: A *Quæ etsi sunt, qui naturali intellectu conatus sit vitijs reluctari, huius tantum temporis vitam sterilitèr ornavit; ad veras autem virtutes, æternamque beatitudinem*

*beatitudinem non profecit. Sine cultu enim veri Dei etiam quod virtus videtur esse, peccatum est, nec placere illis Deo sine Deo potest. Qui verò Deo non placet, cui nisi sibi & diabolo placet.* Et in libro contra collatorem: *Natura bonis suis malè utitur: in quibus sine cultu veri Dei impietatis immunditiæque convincitur; & unde se defendi existimat accusatur.* Et infrà improbando dicit: *Quasi nullus sit bona voluntatis motus, nisi quem creaverit diffusa per Spiritum sanctum charitatis afflatus. Sine fide enim impossibile est placere Deo; &, Omne quod non est ex fide peccatum est.* Et iterum paulo pòst: *Ita manifestissimè patet, in impiorum animis nullam habitare virtutem, sed omnia opera eorum immunda esse atque polluta.* Hæc sanè omnia, præsertim quæ ex libris de contemplatione decerpsimus, aliaque plura superiùs allegata, quibus nihil omnino boni naturam sine gratia, sed tantummodo peccare posse demonstravimus, tam evidenter sensum Augustini exprimunt, ut si commentarij loco magistrum discipulus illustrare voluisset vix aliquid luculentiùs expeti posset. Quorum vestigijs insistendo sanctus Fulgentius similiter ut Augustinus locum illum Apostoli ad Romanos: *Cùm enim gentes quæ legem non habent naturaliter, ea quæ legis sunt faciunt &c.* De gentibus jam fide justificatis interpretatur, & rationem addit: *Quia omne quod non est ex fide peccatum est.* Et, *quia sine fide impossibile est placere.* Quo sensu & sanctus Leo dicit: *Apud nos fides etiam sanctificat manducantem; apud illos infidelitas polluit ieiunantem. Vide quia extra Ecclesiam Catholicam nihil est integrum, nihil castum, dicente Apostolo: Omne quod non est ex fide peccatũ est &c.* Et ante Fulgentium, Leonem, Prosperum, & Augustinum Origenes eundem locum apertissimè sic explicuit: *In hoc sermone credentium quorundam negligentes & desides animos vinculo acriore constringit, ut nihil sine fide agant, nihil sine fide dicant, nec absque fide aliquid cogitent: quia sive quid gesseris sine fide, sive locutus fueris, sive etiam cogitaveris, peccas.* Vt vero declararet, hoc defectu intentionis, quam ut Augustinus loquitur, fides dirigit, accidere, statim addit locum alium, quo illa veri finis intentio præscribitur: *Hoc idem est quod in alio dicit, sive manducatis, sive bibatis, sive aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite.*

Lib. contra Collat. c. 22.

c. 28.

Lib. de incarnat. c. 25.

Serm. 2. de ieiunio Pentecost.

Orig. lib. 10. in Epist. ad Rom.

Ibid.

Quòd si & ipsum Iulianum eodem modo Augustini doctrinam intellexisse demonstravero, ut à nobis explicata est, neque repugnasse Augustinum, nescio sanè quod evidentius argumentum postulari queat, ut omnis ambiguitatis nebulæ dispellantur. Sic verò eam intellexisse Iulianum, explorata veritas est, eaque multis modis patet. Primò, quia ut infringeret Augustini sententiam, qua dixerat, Omne quod non est ex fide peccatum esse, objecit illum Apostoli locum: Cùm enim gentes quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis sunt faciunt; ex quo *probare conabatur, etiam alienos à fide Christi veram posse habere justitiam*, hoc est, opera vera justitiæ, quæ tamen fatebatur non esse talia, *ut à Deo vitam consequerentur æternam, non propter Deum faciendo bona, quæ faciunt*: Negat hoc mordicus Augustinus, sed illa eadem opera quamvis bona eos malè fecisse convincit, ideoque *negari non posse*, quin peccaverint. Secundò, quia, ut eandem doctrinam generalem infirmaret, exempla velut instantias propositionis generalis opponebat *impiorum quos* dicebat *alienos à fide abundasse virtutibus, ita ut solis libertatis ingenitæ viribus, & misericordes crebrò, & modesti, & casti invenirentur, & sobrij.* Respiciebat autem illos Romanos veteres. Sed ita hoc refellit Augustinus, ut eos tantummodo minùs punitos esse doceat, sic ut hoc ipso quo non referrent ea ad autorem Deum, efficerentur injusti. Tertio, quia planissimis verbis Augustinum interrogat: *Si gentilis nudum operuerit, nunquid, quia non est ex fide, peccatum est?* Quì posset clarius indicare modum, quo intelligit sententiam Augustini asserentis, Omne quod non est ex fide esse peccatum, quàm opus aliquod afferendo, quod & ipse Iulianus, & cum eo Scholastici existimant esse bonum, & nihil ad æternam vitam conferre seu esse sterile & imperfectum de illo ipso interrogare, num sit peccatum? Nec diffitetur Augustinus, sed eadem simplicitate & asseverantiâ respondet: *Prorsus in quantum non est ex fide peccatum est:* Et ne officium reprehendere videretur, cùm tantummodo defectus legitimi finis culpandus sit, *non quia*, inquit, *per seipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est; sed de tali opere non in Domino gloriari solus impius negat esse peccatum.* Quartò, quia dictum Augustini, quòd gentilium castitas, id est, opus castitatis, non esset vera castitas, ita reprehendit ut dicat: *Eadem fronte dicetur, quia corpus Paganorum corpus non sit, & oculi Paganorum sensum non habeant intuendi.* Respondet Augustinus, & corpus eorum esse verum corpus, nec tamen esse consequens, ut eorum castitas sit vera castitas; quia *de his quæ faciunt dictum est: Omne quod non est ex fide peccatum est.* Quintò, quia cùm dixisset Augustinus, quòd in infidelibus non *peccata coercentur* (quod certissimum est de veris peccatis intelligi) *sed alijs peccatis alia peccata vincantur*, continuò subdebat concludebatque Iulianus sententiam suam: *Persecte igitur studio sanctitatis, quod Deus adiuvat, potest homo carere peccatis. Si enim vincuntur peccata peccatis, quanto magis possunt virtutibus peccata superari?* Vbi manifestissimum est Iulianum de veris peccatis loqui, quibus hominem Pelagiani carere posse statuebant. Nam vera peccata Pelagiani docebant virtutibus posse superari: quæ Augustinus tantum alijs peccatis per infideles superari posse asseruerat. Denique hac de causa suprà audivimus toties objicientem Augustino Iulianum, quòd ante liberationem, quæ fide inchoatur, homo nihil agere posset juxta doctrinam Augustini nisi malum: *Si hoc*, inquit, *quod tu putas, sit, quia libertate solum peccaretur &c.* itemque: *Voluntas, sicut dixisti, ad faciendum bonum non est libera perque hoc aliud agere non potest nisi malum*, & plura hujusmodi quæ ante recensuimus. Hanc etiam doctrinam Augustini & Prosperi respexit Cassianus, tacitè-

Lib. 4. cont. Iul. c. 3.

Ibid. infrà

Lib. 1. c. 1. pag. 5. f. 115.

tacitèque carpit: *Nec enim Deus talem hominem fecisse credendus est, qui nec velit unquam, nec possit bonum*: quasi istum perditissimum humanæ naturæ statum Deo condenti, non homini conditorem deserenti Augustinus ascriberet. Et evidentius in consequentibus: *Vnde cavendum nobis est, ne ita ad Dominum omnia sanctorum merita referamus, & nihil nisi quod malum atque perversum est humanæ ascribamus naturæ.* Nam quemadmodum Iulianus apertissimè, ita Cassianus occultiùs in illa Augustini verba velut humanæ naturæ contumeliosa irruebat, quibus dixerat: *Hæc voluntas ideo libera in bonis non est, quia liberata non est. Nec potest homo boni aliquid velle, nisi adiuvetur ab eo qui malum non potest velle, hoc est, gratiâ Dei per* IESVM *Christum Dominum nostrum. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est.* Nam istis verbis *apertiùs* Augustinum, *quid sentiret, aperuisse* jactitabat Iulianus, eaque propterea tanquam nullo modo toleranda refellebat. Quę tamen tantùm abest, ut Augustinus vel tanquam invidiosa retractaret, vel tanquam asperiùs dicta molliret, ut potiùs velut ex ipsis Christianæ religionis hausta fundamentis, eo modo quo superiùs à nobis explicatum est, mordicus tueretur.

Collat. 13. & apud Prosper. Collat. cap. 17.

Cap. 14.

Ep. ad Bonif. cap. 3.

Lib. 1. oper. imper. f. 13 & 143.

# CAPVT OCTAVVM.

## Vtrum virtutes Philosophorum veræ virtutes, an vitia sint, & quare?

QVÆ hactenus de operibus in fidelium ex Augustino disputata sunt, satis superque esse poterant ad perspiciendum liquidissimè sensum ejus: quibus etiam facilè constare posset, quid de virtutibus Philosophorum atque Romanorum sentiendum sit. Cùm enim virtus non sit aliud nisi principium operis boni, seu secundum Aristotelem, *quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum*; & juxta divum Thomam, *bonus habitus, & boni operativus*, hoc ipso quo infideles nullum facere posse docentur opus bonum, necessariò sequitur, eos nullam etiam habere virtutem: sed si ad aliquod officium bonum propendere videantur, ea forsan consuetudo bona vocari posset; virtus tamen esse non poterit. Quia tamen nonnulla de ista quæstione altercatio est, hic peculiariter & breviter tractanda visa est, ut inde plenius adhuc atque planiùs Augustini sententia de operibus infidelium jam explicata patefiat. Doctrinæ quippe ipsius in hac materia istud omnino peculiare est, ut sibi mirum in modum à capite ad calcem usque consonet, utpote quæ ab ijsdem principijs tota pendeat, quaquaversum ad extremas conclusiones usque penetrantibus. A quorum filo si Philosophiæ humanæ rationibus deductus semel aberraveris doctrinam ejus universam perturbari, nulloque nexu colligatam fluctuare, sicque contradicere necesse est. Hinc enim factum est, ut nonnulli recentiores, dum Augustini principia de hac re vel non satis assequuntur, vel tanquam nimis sublimia supplicij nostri infirmitate metiuntur, mirabiles tenebras in doctrinam ejus apertissimam intulerint: quia cogitationibus Philosophorum de habitibus & virtutibus moralibus assueti, quicquid sublimius, & Christianâ Philosophiâ dignius prœoccupatis opinionibus dissonuerit, potiùs deorsum obtorto collo deprimendum, quàm se sursum elevandos esse censuerunt. Itaque Glossis à sensu Augustini disiunctissimis doctrina sancti Doctoris perspicua aliò detorta est: quarum interpretationum non est aliud fundamentum, nisi quia alioquin falsum esset id quod ipsi verum putant. Quo sanè modo si autorum quorumcunq; verba ac documenta tractare licet, & non potiùs ex perpetuo doctrinæ filo sensus eorum, sive reipsa verus, sive falsus, (quod alterius quæstionis est) perquirendus, nihil in universis Patrum sanctissimorum scriptis ita manifestum est, & categoricis propositionibus adversus hæreses assertum, quod non facillimo negotio eludi, adulterari, pervertique possit. Et revera per illam liberam quidlibet opinandi pruriginem, quæ per disputationes nonnullorum recentiorum in Theologiam invecta est, multoque liberiorem interpretandi, seu potiùs pervertendi Patrum antiquorum scripta licentiam eò ventum est, ut nemo, quicquid tandem senserit, Augustino vel Patribus gravioris notæ contradicere sibi videatur. Neglectâ enim totius doctrinæ consonantiâ, quæ ante omnia debebat explorari, abruptas quasque sententias ita exponunt vel componunt potiùs, ut non tam admirationem, quàm horrorem peritioribus injiciant. Ex quo solemni libertinæ interpretationis more, Auctoritas Patrum antiquorum, quæ primum olim habere solebat locum, nunc ita apud quosdam eviluit, ut nullum argumentum contemptibilius eis sit, solutuque facilius, quàm quod ex eorum scriptis ducitur, dummodo ratiunculæ nonnullæ novitati suffragari videantur. Sed omissis querimonijs ad Augustinum nostrum redeamus, & ostendamus, doctrinam eius universam non modò de operibus infidelium, sed etiam de virtutibus eorum ita sibi concinere, ut quemadmodum in Philosophiâ causa per effectum, & effectus per causam, ita quoque natura talium operum per virtutes, & natura virtutum per opera liquidissimè demonstrari possint. Pari enim passu ista in Augu-

Lib. 2. Ethic. 1. c. 1. 55. 2 4. 3.

in Augustini doctrina progrediuntur, ut virtus infidelium operibus ad unguem congruat, & opera virtuti; fructu videlicet arborem, & arbore fructum redarguente; ut istud meritò, quod ex virtutibus infidelium trahi potest argumentum, *octavum* statui possit, quo velut causam continente comprobetur, verissimum esse sensum Augustini quem hactenus dedimus de operibus infidelium. Conformitas quippe doctrinæ per se-ipsa loquetur, nihil nisi genuinum, sibique omni ex parte constans me protulisse.

Quamobrem sicut Augustinus sæpissimè docuit, opera infidelium non esse opera verè bona, sed quasi bona, ut non aliud nisi mala intelligeremus; ita vicissim docet, virtutes eorum qui fide carent non esse veras virtutes, sed quasi virtutes, falsas virtutes, terrenis rebus assequendis congruas, & similia. Vnde in libris contra Iulianum: *Gratis Christus mortuus est, si homines sine fide Christi ad fidem veram, ad virtutem veram, ad iustitiam veram, ad sapientiam veram quacunque re alia, quacunque ratione perveniunt. Prorsus sicut de lege verissimè ait Apostolus: Si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est: ita verissimè dicitur: si per naturam voluntatemque iustitia, ergo Christus gratis mortuus est: si per doctrinam hominum qualiscunque iustitia, ergo Christus gratis mortuus est.* Vbi per veram qualemcunque justitiam non aliud intelligit, nisi justitiam ex qua prosiliat opus verè bonum, hoc est, quod non sit peccatum, *quo efficiantur iniusti*; sicut statim ipse istis verbis utendo declarat. Isto quippe sensu & illam sententiam protulit, quam sanctus Prosper dignam judicavit, ut eam ex ejus lucubrationibus excerperet: *Omnis infidelium vita peccatum est, & nihil est bonum sine summo bono: ubi enim deest agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus.* Vbi ex operibus, quæ sine fide non nisi peccata sunt, etiam falsam virtutem esse concludit. Quo planè modo & alibi continentiam veram omnibus negat, qui fide carent; quotquot videlicet *sub nomine religionis aliquo errore fallantur; quorum continentia vera esset, si esset & fides vera. Cùm verò illa propterea nec fides sit appellanda, quia falsa est, sine dubio & ista continentia nomine indigna est. Numquid enim continentiam fidei, quam mutus Dei verissimè dicimus, dicturi sumus esse peccatum? Absit à nostris cordibus tam detestanda dementia. Beatus autem Apostolus ait: Omne quod non est ex fide, peccatum est. Quæ igitur non habet fidem nec continentia nominanda est.* Nimirum, quia opus ejus non est nisi peccatum. Hac de causa retractat tanquam perperam dictum, id quod [a] libro primo de Ordine per transennam dixerat: [b] *Philosophos non verâ pietate præditos virtutis luce fulsisse.* Cujusmodi sententiæ in Augustini doctrina crebræ sunt. Neque solùm veris virtutibus infideles caruisse, vel fuisse falsas, & virtutis nomine indignas, sed etiam *vitia* fuisse tradit; eâ prorsus ratione, qua & opera illorum, qui fide destituti sunt, non modò non verè bona, vel quasi bona laudabiliaque, sed vera peccata esse jam antè declaravit. Hoc enim distis verbis bis terve repetit in libris de Civitate Dei, sicut statim dicturi sumus.

*Lib. 4. cont. Iul. c. 3.*

*Sentent. 106*

*Lib. de Continent. c. 12.*

a *Lib. 1. de Ordine c. 11.*
b *Lib. 1. Retract. c. 3.*

Ad eludendam igitur Augustini doctrinam, qua Romanorum, Philosophorum, vel quorumcunque infidelium virtutes, non veras virtutes, sed vitia specie virtutum palliata fuisse tradit, ludificationes quædam (ita loquor, quia nullum in Augustino, sed in sola subtilitate cogitantium fundamentum habent) inventæ sunt. Aiunt enim aliqui hoc ab Augustino dici, quia inquiunt, nunquam possunt infideles pervenire ad statum moraliter necessarium, ut aliquis bonus habitus vel bona dispositio nomen absolutum veræ virtutis mereatur. Ad hoc enim, ut ipsi explicant, non est satis ut habitus sit remissus, sic enim erit potiùs dispositio quàm habitus atque virtus: sed ut sit valdè intensus & radicatus: quomodo non acquiritur nisi per frequentiam actuum: itemque ut in tota materia alicujus virtutis operetur, vel in majori parte ejus, præsertim materia ardua & difficili. Qualis virtutum perfectio per multos actus continuatos acquiri debet, nec sine gratia acquiri potest: multo minùs secundum perfectionem, quoad statum extrinsecum, qui virtutum omnium connectionem postulat. *Et ideo*, inquiunt, *Iulianum dicentem, posse infideles per liberum arbitrium esse misericordes, modestos, castos, & sobrios; reprehendit, quia non solum affectum, sed perfectionem virtutis illis tribuebat. Hanc negat Augustinus infidelibus: non tamen omnem affectum, inchoationemque virtutis.*

*Ibid. n. 20.*

*Ibid. n. 20.*

*Ibid. cap. 1. n.*

Sed revera utrumque falsum est, utrumque cogitationis humanæ figmentum, videlicet & quod inchoationem affectumq; virtutis infidelibus tribuat, & quod propter illas rationes ijs perfectionem neget. Vtrumque enim ab Augustini mente remotissimum est, & in eodem ipso qui citatur loco ab Augustino subversum. Nam cùm perfectionem virtutis infidelibus negasset Iulianus, inchoationem verò tribuisset, respondet ei Augustinus: *Cùm ergo divinitus adiuvatur homo, non tantùm ad capessendam perfectionem adiuvatur, quod ipse posuisti, utique volens intelligi eum per se incipere sine gratia, quod perficit gratia: sed potiùs quod Apostolus loquitur, ut qui in vobis opus bonum cepit, perficiat usque in finem. In quo enim vis hominem, sicut loqueris, ad aliquid laudabile generosi cordis stimulis incitari, in hoc eum non vis in Domino, sed in libero arbitrio gloriari; ac sic priorem dare, ut retribuatur illi, eoque modo gratia iam non sit gratia, quia non est gratuita.* Qui potuisset luculentiùs commentum sibi impositum refellere Augustinus, quo dicitur non negasse infidelibus omnem affectum & inchoationem virtutis? Quod & statim iterum jugulat: *Quid est ergo, quod secundùm modum vestrum, effectiū voluntatis humanæ dona cælestia me credideras, nunc ipsa, tanquàm voluntas hominis sine gratia moveretur ad bonū* (Ecce affectus & inchoatio virtutis infima, quæ cogitari in voluntate potest, primus videl. motus

*Lib. 4. cont. Iul. cap. 3.*

*Ibid.*

motus voluntatis ad bonum (*ut ei debitus à Deo retribueretur effectus?* id est, perfectio qua sit ipsa sobrius & castus, sicut voluntas optabat. *Itanè oblitus fuerat, nos cùm Scriptura dicere contra vos: Præparatur voluntas à Domino, vel, quod in nobis Deus operetur & velle? O ingratos gratiæ Dei! O inimici gratiæ Christi, & solo vocabulo Christiani!* Vide, obsecro, quanta vehementia detestetur illas virtutis inchoationes, quas Iulianus infidelibus tribuebat, & ex hoc ipso loco recentiores ipsi Augustino incredibili insciticâ, ut mitissimè loquar, imponere non verentur. Vnde concludens addit: *Non ergo quia est illis voluntas bona, sed ut convertatur in bonam voluntas mala pro eis orat Ecclesia.* Quod statim ex Scripturis probat.

Quod verò inde probat, aliquas ab Augustino virtutes admitti in infidelibus, quia dicit: *Vtcunque fiant, illis tantùm deserviunt ut minùs puniantur in die iudicij.* Dicenuo enim, *utcunque fiant*, planè intelligit, inquit, sive cum integra bonitate ex objecto & circumstantijs, sive cum aliquo defectu ex parte finis: indicans utrumque modum esse possibilem. Sed hoc ipsum rursum apertè falsum est, & Augustino in eodem qui citatur loco directè contrarium. Sic enim loquitur Augustinus: *Sed ad hoc eos in die iudicij cogitationes suæ defendent, ut tolerabilius puniantur, quia naturaliter quæ legis sunt utcunque fecerunt, scriptum habentes in cordibus opus legis haciens, ut alijs non facerent, quod perpeti nollent.* Vbi manifestum est, per illud, *utcunque*, non duplicem faciendi modum indicari: sed cùm tota illa disputatione sæpiùs & ex professo duo distinguat in opere bono, *officium*, & *finem*, seu opus quod fit & finis propter quem fieri debet; per illud, *utcunque* indicat imperfectum præcepti implendi modum, videlicet solummodo quantum ad officium, quod infidelibus tribuit, negans eis implendi modum quantum ad finem. Quod ipsemet verbis immediatè subjunctis explicat disertissimè: *Hoc tamen peccantes, quòd homines sine fide non ad eum finem ista opera retulerunt, ad quem referre debuerunt.* Ecce, quomodo utcunque fecerint ii fideles opus legis, ipsum scilicet officium faciendo; hoc tamen peccantes, quòd veri finis omissione deliquerint.

Ex quo etiam commentum illud evanescit, quo putatur Augustinus propterea virtutes veras negare infidelibus, quia non possint eas in statu perfecto, qui habitus radicationem, perfectionemq; postulat, sine gratia comparare. Non enim solùm est mera fabula Augustino affita, quæ nihil in scriptis ejus fundamenti habeat, sed ab ejus mente prorsus aliena, utpote quem vidimus nec primam virtutis inchoationem vel affectum eis velle tribuere, nec secundum doctrinam ejus tribui posse, nisi ab eis, qui *solo nomine Christiani* sunt, ut ibidem Augustinus loquitur. Vera igitur ratio est eaque ab Augustino sæpè locis tradita & inculcata est, & in eodem loco sæpiùs repetita: ut mirum omnino sit, res tam apertas hominem, qui aliquid in Augustino legisse videri cupit, latere potuisse. Quæ sane ratio non à perfectione virtutis internâ, per magnam habitûs intensionem, radicationemq; vel externâ, quâ vel in tota virtutis materia præsertim ardua difficiliq; operetur, vel alijs virtutibus connectatur (quæ causę ex Philosophia concinnatę sunt, nec unquam ab Augustino vel leviter adumbratę) sed stabiliter, atque uniformiter ubique petitur ex defectu finis, quem omnis omnino vera virtus, sive perfectionis intensissimæ, sive inchoatæ, in quacunq; materia, sive ardua, sive levi, sive sola fuerit, sive quibuscunque virtutibus nexa, spectare omnino debet. Finis enim ille non est alius nisi verum bonum, hoc est, verus Deus: ad quem non solùm actio supernaturalis, meritoria, ad vitam æternam conferens; sed omnis omnino actio verè bona, hoc est, non mala, seu non peccatum, referenda est; & ita referenda, ut hoc ipso quo non referatur, peccatum sit: & virtus quæ illam facit, non virtus, sed verum vitium, tanquam actionis malæ principium, vocari mereatur. Hoc probant pleraq; quæ supra de operibus ipso defectu finis illius vitiatis & malis allegavimus. Perinde quippe de virtutibus ipsis, de quibus ex professo erat quoq; disputatio, quemadmodum de operibus Augustinus loquitur. Nam rationem reddens, cur nec *iustitia, nec aliæ virtutes comites eius & sociæ* in infidelibus esse possint. *Quia*, inquit, *cùm non ad suum referuntur auctorem bona Dei, hoc ipso malis hominibus efficiuntur iniusti.* Et ex professo statim uberiùs causam illam explicans dicit: *Noverit itaque, non officijs sed finibus à vitijs dijcernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est, finis verò propter quod faciendum est.* Et virtutum vitia per operum malitiam declarando subjungit: *Cùm ita que facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.* Quod sicut lumine naturæ manifestum est, & in omnibus omnino uti operibus, ita & virtutibus quamvis imperfectissimis locum habet, (quis enim dixerit, quòd *non propter hoc facere, propter quod homo facere debet* non sit peccatum?) Ita statim Augustinus explicat, eundem illum finem, cujus defectu peccatum est quicquid facimus, nec à virtute ullo pacto fluere potest, esse unum, solumque verum Deum. *Absit autem, ut virtutes veræ cuiquam serviant nisi illi, vel propter illum, cùi dicimus: Deus virtutum converte nos.* Quid apertius, quid luculentius? Et rursum enucleatius, per omnes discurrendo virtutum quarumcunque plausibilium fines: *Proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibuscunque commodis & emolumentis temporalibus serviunt, veræ prorsus esse non possunt.* Ecce exclusos penitus omnes omnino temporalium commodorum, voluptatum, divitiarum, honorum, laudis, & gloriæ fines: *Quæ autem nulli rei servire volunt*, hoc est, quæ sibi-ipsis serviunt, quemadmodum virtutes Stoicorum, *nec ipsa veræ sunt. Veræ quippe virtutes Deo serviunt in hominibus, à quo donantur hominibus, Deo serviunt in Angelis, à quo donantur & Angelis.* Cujusmodi igitur

Lib. 4. cont. Iul. cap. 3.

opus est, quod ab illis virtutibus proficiscitur, quæ sive alijs quibuscunque bonis, sive sibi-ipsis, sive nulli omnino alteri, sed sibi soli serviunt, ut ex prole matrem ejus agnoscamus? Audi disertissimè: *Quicquid autem boni sit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* Causam adijcit, quia opus non potest esse bonum, nisi fluat à voluntate bona tanquam arbore bona, per quam semper Augustinus intelligit ipsam volitionem, seu propositum, quod est causa operum ab eo proficiscentium: virtutes autem non sunt aliud nisi voluntates seu firma proposita rectè operandi. De tali igitur voluntate seu proposito consequenter subdit: *Absit ut sit vel dicatur voluntas bona, quæ in alijs, vel in seipsa, non in Domino gloriatur.* Quæ sanè sola, si nihil aliud ex August. haberemus, abundè sufficere deberent, ut intelligeremus ex ejus sensu nullam aliam posse veram esse virtutem, nisi quæ servit Deo, hoc est, quæ opus suum refert *ad hoc, ad quod referre debet*, quæ illud refert *ad Deum*, quæ refert ad illum tanquam finem, *quem vera sapientia præcipit*, quæ *gloriatur in Domino*, &, ut explicat in fine disputationis illius, quæ operatur *intentione fidei bonæ, hoc est, eius quæ per dilectionem operatur.* Cujusmodi intentio, & dilectio, & servitus veri Dei, & gloriatio in Domino non est aliud, nisi vera pietas, & religio, & cultus Dei: quorum nihil Deo sine fide præstari potest. Nulla enim re alia servitur Deo, & colitur Deus, nisi dilectione. Nam quisquis aliò respicit in operando, non servit per hoc Deo aut colit Deum, sed illud quod operando intuetur: quod esse non potest nisi creatura.

Sed hanc doctrinam adversus Iulianum à radicibus traditam alijs plurimis suorum scriptorum locis velut rem exploratissimam sine ulla fluctuatione confirmat. Hinc libro decimo de Civitate: *Bonum nostrum, de cuius fine inter Philosophos magna contentio est, nullum est aliud, quàm illi cohærere, cuius unius anima intellectualis incorporeo, si dici potest, amplexu veri impletur fœcundaturque virtutibus.* Ille enim incorporeus amplexus non est aliud nisi dilectio, quem sicut nemo homini dare potest nisi Deus, ideo neque virtutem sibi quisquam suis viribus parare potest: quia virtus propter finem quem intueri jubetur ac debet, sine Dei dilectione esse & intelligi nequit. Vnde strictissimam obligationem diligendi Dei propter finem operationis inculcans adijcit: *Hoc enim bonum diligere in toto corde, in tota anima, & in tota virtute præcipimur. Ad hoc bonum debemus & à quibus diligimur duci, & quos diligimus ducere. Sic complentur duo illa præcepta, in quibus tota lex pendet & Prophetæ: Diliges Dominum Deum tuum &c. Vt enim homo sese diligere nosset, constitutus est ei finis, quò referret omnia quæ ageret ut beatus esset. Non enim qui se diligit aliud esse vult quàm beatus. Hic autem finis est adhærere Deo. Iam igitur scienti diligere seipsum cùm mandatur de proximo diligendo, sicut seipsum, quid aliud mandatur, nisi ut ei quantum potest, commendet diligendum Deum? Hic est Dei cultus, hæc vera religio, hæc recta pietas, hæc tantùm Deo debita servitus.* Hic omnia simul habes explicata, veras virtutes tantummodo nasci ex dilectione Dei; hunc esse finem boni; hujus finis dilectionem ex toto corde præcipi; huc omnia referenda non solùm quæ circa nos, sed & quæ circa proximum operamur; talem Dei dilectionem esse consequenter veram pietatem, religionem, cultum, servitutem Dei: ut sic radicitus intelligeremus, cur fides ad ea necessaria sit; nimirum propter finem boni, quò cuncta referri vera *sapientia præcepit*, ut contra Iulianum loquitur, & ad quem referre debet, & si aliter fiat, *ipso non recto fine peccatur.* Vnde in libro quinto de Civitate Dei dogmaticè finem omnis veræ virtutis explicans: *Neque enim*, inquit, *est vera virtus, nisi quæ ad eum finem tendit, ubi est bonum hominis, quo melius esse non potest.* Et statim ex illo principio docet, libidines *fide pietatis, impetrato Spiritu sancto, & amore intelligibilis pulchritudinis*, hoc est, ipsius Dei, *esse frenandas*, & studia bona *sectanda esse fine veri boni.* Et libro decimo-nono de Civitate definitivam sententiam statuit: *Tunc est vera virtus, quando & omnia bona quibus bonè utitur, & quicquid bono usu bonorum & malorum facit, & seipsum ad eum finem refert, ubi nobis talis & tanta pax erit, qua melior & major esse non possit.* Et infrà: Iustitiam nostram dicit esse *veram propter veri boni finem, ad quem refertur.* Et mox alijs verbis dicit: *Quò referenda, & cuius adipiscendæ causâ habenda est ista iustitia.*

Hanc veritatem in Christiana, quæ sola vera est, Philosophiâ certam multis modis astruit etiam in Epistola ad Macedonium: *Si ergo*, inquit, *nos virtus vera delectat, ei dicamus quod in eius sacris litteris legimus: Diligam te, Domine virtus mea.* Et inferiùs: *Abjiciamus itaque, obsecro te, falsorum Philosophorum vanitates & insanas mendaces: quia nec virtus vera nobis erit, nisi adsit ipse quo iuvemur; nec beatitudo, nisi adsit ipse quo fruamur.* Nec mirum, cùm vera virtus, veraque beatitudo inseparabiliter nexæ sint. Vt enim vera virtus non sit via ad veram beatitudinem, ad eamque profit assequendam, fieri nullo pacto potest.

Itaque de virtutibus Philosophicis & earum finibus statim adijcit: *Itaque si omnis prudentia tua, qua consulere conaris rebus humanis; si omnis fortitudo, qua nullius iniquitate adversante terreris; si omnis temperantia, qua in tanta labe nequissimæ cõsuetudinis hominum, te à corruptionibus abstines; si omnis iustitia, qua rectè iudicando suaque cuique distribuis id laborat, id nititur, ut hi quibus viu ut benè sit, salvi sint corpore, & ab omni ei iniquam improbitate tuti atque pacati &c. ita non erunt veræ virtutes tuæ, sicut nec istorum beatitudo.* Habes hic officia quatuor virtutum Cardinal. ceteras omnes complectentium præclarissimè, quibus nulla unquâ puriora præstitêre Philosophi: habes finem illũ ipsum, quem Philosophi virtutibus præscribere solent, salutem publicã.

Verum-

Lib. 10. de Civit. c. 4.

Ibid.

Ibid.

Verumtamen tam est Augustino illa falsa virtus, quàm falsa beatitudo hominum, salute, prosperitate, divitijs temporalibus affluentium. Virtus enim vera sicut non potest nisi de cælo descendere, ita non potest non eò rursum ascendere, cùm nihil sit aliud beatitudo, quàm illo frui, quod virtus vera diligebit. Itaque statim radicem doctrinæ suæ ex fine petens: *Si qualibet, inquam administratio tua, illis quas commemoravi instructa virtutibus, hoc mentionis fine determinatur, ut homines secundum carnem nullas iniquas molestias patiantur: nec ad te existimas pertinere, quò istam quietem quam præstare miseris referant, id est, ut verbis non ambiant, quomodo Deum verum, ubi est quæ vitæ eternæ fructus, colant, nihil tibi prodest ad vitam vere beatam tantus labor.* Hoc est, sicut paulo antè dixerat, & statim iterum dicit, non erunt veræ virtutes, utpote quæ ad vitam verè beatam prodesse non possunt. *Si eorum, addit, virtutes quas accepisti, a quo acceperis sentens, eique gratias agens, eas ad ipsius cultum etiam in tuis secularibus honoribus conferas, tua ac potestate subditos homines ad eum colendum exemplo tuæ religiosæ vitæ, & ipso studio consulendi, (id est, ipsis operibus seu officijs virtutum) seu fovendo, seu terrendo, erigas & adducas, nihilque aliud in eo quod per te securius vivunt velis, nisi ut hinc illum promereantur, apud quem beate vivant, & veræ illæ virtutes erunt, & illius opitulatione cuius largitate donatæ sunt ita excescent, & perficientur, ut te ad vitam vere beatam, quæ non nisi æterna est, sine ulla dubitatione perducant.* Nam, ut jam dixi, impossibile omnino est, ut vera virtus sit quæ nihil ad vitam æternam prosit: sed si nihil ad eam assequendam prodest, nullo modo virtus vocari potest, utpote quæ neque bonum habentem faciat, nec opus ejus bonum. Quod satiatissimè declarat adversus Iulianum: *Quod cum facimus*, id est, cùm innocentiam beneficentiamque servamus, *ideo veras virtutes habemus, quia verum est propter quod facimus, id est, hæc naturæ nostræ consentaneum est ad salutem & veram felicitatem. Non enim absurde virtus definita est ab eis qui dixerunt: Virtus est animi habitus naturæ modo atque rationi consentaneus. Verum dixerunt; sed quali sit consentaneum liberandæ ac beatificandæ naturæ mortalium nesciebant.* Et inferius: *Si ergo ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides, quæ in Christum est, vera promittit, nihil prosunt hominis virtutes, nullo modo veræ possunt esse virtutes.*

Quod ut plenius intelligatur, sciendum, doctrinam fuisse Iuliani ab Augustino fortissimè improbatam, quod aliquæ virtutes essent in Philosophis atque Gentilibus naturales, humanis viribus acquisitæ, sed ad vitam æternam steriles, hoc est, quæ nihil eas habentibus ad vitam æternam atque beatitudinem proderant. Adversus quam opinionem Augustinus: *Quapropter dici non potest, quantum te ista fallat opinio, qua dixisti, omnes virtutes affectus esse, per quos aut fructuose aut sterilitер bonisumus.* Quod autem hoc ipsum quod nos diximus intelligeret Iulianus, per sterilitер esse bonum, ibidem explicat, dum Iulianus dicit: *Ego sterilitер bonos dixi homines, qui non propter Deum faciendo bona quæ faciunt, non ab eo vitam consequuntur æternam.* Contra istam igitur Iuliani sententiam ex Philosophia desumptam, quam nonnulli Scholastici secuti sunt, tanquam contra chimericam imaginationem invehitur Augustinus: *Fieri enim non potest ut sterilitер boni simus*, id est, ut nihil ad vitam æternam conferat virtus atque bonitas; *sed boni non sumus quicquid sterilitер sumus. Arbor enim bona bonos fructus facit. Absit autem, ut Deus bonus, à quo securus paratur arboribus non facientibus fructum bonum, excidat & in ignem mittat arbores bonas.* Vnde fidentissimâ securitate concludit: *Nullo modo igitur homines sunt sterilitер boni*, per virtutes videlicet illas quæ Deum non respicere, nec ab eo vitam æternam consequi à Iuliano fingebantur, *sed qui boni non sunt, possunt esse alij minus, alij magis mali.*

Hæc est ergo vera ratio, cur in libris de Civitate Dei, hujusmodi virtutes Philosophicas, quotcunque tandem præterquam ad verum Deum referantur, non solùm veræ virtutis nomine indignas, sed etiam vitia appellare non dubitet, sicut & falsam beatitudinem esse tradat magnamque miseriam, beatitudinem quamcunque temporalem, quæ talibus virtutibus retribuitur, nisi æterna speretur. Præmium enim & meritum pari se invicem passu comitantur. Itaque cùm de virtutibus hujusmodi dixisset: *Civitatem impiorum, cui non imperat Deus obedienti sibi, carere iustitiæ veritate*; nec ullo modo *corpori & vitijs recte imperare*, ut intelligeremus non nisi vitiosè imperare, juxta illud principium ejus, quòd *omne factum, si recte factum non est, peccatum est*; sic sanctissimus Doctor loquitur: *Proinde virtutes quas sibi habere videtur, per quas imperat corpori & vitijs ad quodlibet adipiscendum, nisi ad Deum retulerit etiam ipsæ vitia sunt potius, quam virtutes.* Et Stoicorum vanitatem retundens, ne ab ista regula suas virtutes exceptas arbitrarentur, eo quòd temporalibus commodis servire non viderentur, eâdem magisterij auctoritate subjungit: *Nam licet a quibusdam tunc veræ & honestæ putentur esse virtutes, cùm ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ ac superbæ sunt: & ideo non virtutes, sed vitia iudicanda sunt.* Nihil clarius, nihil absolutius, nihil efficacius de Philosophorum virtutibus pronunciari potest. Nec enim responderi potest, vitium hic improprie sumi pro eo quod ad vitam æternam nihil prodest, quamvis naturaliter bonum sit: inflatum enim & superbum esse non differens, sed verissimum vitium est. Quod si talis est virtus Philosophica, quando est purissima; quanto sordidior erit, quando alijs quibuscunque temporalibus rebus servit, cùm & Scholastici fateantur, ipsam officij bonitatem ac honestatem à vera virtute esse spectan-

Ibid.

Lib. 4. cont. Iul. cap 3.

Ibid.

Lib. 19. de Civit. c. 24.

Lib. de util. cred. c. 12.

Lib 19. citato.

spectandam? Sicut ergo falsa virtus est illa Philosophica, & verum vitium; ita falsa beatitudo quam venatur, & vera miseria. Audi Augustinum, mirâ ubique doctrinæ conformitate sibi concinentem: *Res vero ista*, hoc est, beatitudo vitæ temporalis, *sine spe illa, beatitudo falsa & magna miseria est. Non enim veri animi bonus utitur: quoniam non est vera sapientia, quæ intentionem suam in his quæ prudenter discernit, gerit fortiter, cohibet temperanter, iustèque distribuit, non in illum dirigit finem, ubi erit Deus omnia in omnibus æternitate certa, & pace perfectâ.*

Lib. 19. de Civit. c. 20.

# CAPVT NONVM.

## Idem omnino docuerunt sanctus Prosper, Hieronymus, Ambrosius.

HANC igitur doctrinam à sapientissimo Magistro haustam citra omnem ambiguitatem & fluctuationem velut rem certissimam in Ecclesia Catholica tradiderunt tum Augustini discipuli, tum alij quoque ante Augustinum sanctissimi doctissimique Patres. Nam sanctus Prosper indifferenter tam virtutes gentilium, quàm virtutum effecta seu actiones peccata esse definit, ut suprà vidimus. Inde est enim illud ex libro primo de vocatione Gentium: *Quia etsi fuit qui naturali intellectu conatus sit vitijs reluctari, huius tantum temporis vitam sterilitèr ornavit, ad veras autem virtutes æternamque beatitudinem non profecit. Sine cultu enim veri Dei etiam quod virtus videtur esse, peccatum est. Nec placere ullus Deo sine Deo potest. Qui vero Deo non placet cui nisi sibi & Diabolo placet?* Et libro contra Collatorem: *Puto autem istum verisimilitudine decipi, & in specie falsarum errare virtutum, dum ea bona, quæ non possunt nisi ex Dei munere haberi, etiam in impiorum animis existimat reperiri; ideo scilicet, quia multi eorum sint iustitiæ, temperantiæ, continentiæ & benevolentiæ sectatores: quæ omnia non frustra quidem neque inutiliter habent, multumque ex ijs in hac vita honoris & gloriæ consequuntur, sed quia in his studijs non Deo sed Diabolo serviunt, licet habeant temporalem de vana laude mercedem, ad illam tamen beatarum virtutum non pertinent veritatem.* Quid ergo? Bonæne saltem illæ virtutes sunt, à quibus opera, si non meritoria felicitatis æternæ, certè sine peccato proficiscantur? Audi: *Et ita manifestissimè patet, in impiorum animis nullam habitare virtutem, sed omnia opera eorum immunda esse atque polluta, habentium sapientiam non spiritualem, sed animalem; non cælestem, sed terrenam; non Christianam, sed Diabolicam &c.* Audi uberiùs: *Nec ideo existimare debemus, in naturalibus thesauris principia esse virtutum, quia multa laudanda reperiuntur etiam in ingenijs impiorum, quæ ex natura quidem prodeunt, sed quoniam ab eo qui naturam condidit recesserunt, virtutes esse non possunt.* Audi igitur quid sint istæ virtutes infidelium: *Quod enim vero illuminatum est lumine, lumen est, & quod eodem lumine caret, nox est: quia sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. Ac sic vitium est quod putatur esse virtus: quandoquidem stultitia sit, quod putatur esse sapientia.* Clariùs non posset Prosper sententiam illam tradere, & ostendere in ipsis sacris litteris fundatam esse, quæ perspicuis, gravissimisque verbis dicit: *Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum.* Puto verò stultitiam aliquid amplius esse, quàm innoxiam rerum temporalium prudentiam. Et in libro tertio de vita contemplativa accuratissimè disertissimèque: *Quando fideles iustitiâ, pietate, misericordiâ, mansuetudine, humilitate innocentiâ, ceterisque virtutibus gaudent, aut secundum Deum vivunt, & virtutes veras habere credendi sunt, quæ spiritualiter viventes adeptæ sanctificant, & Deo commendant; aut secundum hominem vivunt, & non sunt veræ virtutes, sed virtutum similitudines, quæ nihil carnaliter viventibus prosunt.* Porro istas virtutum similitudines, quibus infidelium vanitas quasi lucendo gloriatur, magis à veris virtutibus superari tradit, quàm venenum à medicamento: *Quæretis inquit, quantùm à veris virtutibus virtutum similitudines distent?* Et ita rem resolvit: *Non dico, quantum à medicamento venenum: quia medicamentum ita corpus aliquoties sanat, ut id defendere à mortis necessitate non valeat. Et venenum non auferri facit vitam corpori, quasi auferenda non esset nisi fuisset acceptum: Sed accelerat corporis mortem, quod erat aliquantò diutiùs forte victurum. Sed planè dico, à veris virtutibus tantum similitudines distare virtutum, quantum distat à veritate mendacium: quia & similitudo virtutis, quæ videtur virtus esse cùm virtus non sit, nihil est aliud quàm mendacium: & ideo non est virtus dicenda, sed vitium, & vera virtus est veritas, cui qui amanter adhæserit à peccati morte resuscitatus mori ultrà non poterit, nisi cùm ab ea depravata voluntate recesserit.* Et adhuc luculentiùs illam virtutum similitudinem & mendacium explicans: *Sicut è contrario, virtutis simulatio, quæ est, ut dixi, mendacium veritati contrarium animam separat à Deo vita sua, non interituram, sed in supplicio quæ est illius mors, pœnaliter sine vitura, Scripturâ dicente: Os quod mentitur occidit animam. Ac per hoc sicut virtus animam sibi veraciter inhærentem, si fuerit vera, iustificat, ita simulata condemnat. Et quid iustificatio animæ, nisi eius est vita perpetuè beata ac beatè perpetua? Sicut condemnatio animæ pœna eius est sentienda, quæ morte probatur & ipsa perpetua.* Mox autem declarat, quo pacto sint vera vitia virtutum specie paliata: *Superbus vult se credi constantem, prodigus liberalem, avarus diligentem, temerarius fortè, inhumanus parcum &c. Hæc etsi possunt humano ingenio discerni; tamen sine dono Dei, quantùm mihi videtur, nec virtutes possunt appeti vel haberi, nec earum similitudines, quæ sunt vitia virtutes imitantia, declinari. In tantum ut infidelibus nihil profuisse credamus, etiamsi sunt*

Lib. 1. de vocat. gent. c. 7.

Cap. 28. cont Collat.

Ibid. c. 29.

Ibid.

1. Cor. 3.

Lib. 9. de Trinit. cap. 2.

Ibid.

Ibid. ipsi.

Ibid.

*sunt aliquas per corpus operati.* Quî sic? an quia non erant virtutes satis intensæ, radicatæ, nec in omni materia se exseruerunt, nec reliquis virtutibus conjugatæ fuerunt? Nequaquam: sed propter defectum finis, quem semper inculcat magister ejus Augustinus: *Quod eas nec à Deo suo se accepisse crediderunt, nec ad eum qui est fons omnium bonorum referre voluerunt. Et quid dico, nihil eis profuerunt? Imo etiam nocuerunt, dicente Apostolo: Omne quod non est ex fide peccatum est.* Quibus verbis declaratum esse dicit, quod *omnia bona aut ex fide gesta virtutes sunt, quæ profectò justificant; aut si fuerint sine fide, non sunt aliqua bona credenda, sed vitia; quæ non juvant suos operarios, sed condemnant, inflatosque præcipitant.* Quam sanè doctrinam ad amussim ex Augustino Prosper expressit. Nam cùm Julianus gentilium virtutes prædicaret, sicut & Recentiores nonnulli ipsa facta seu officia laudabilia à fine sejuncta considerantes prædicant, respondet ei Augustinus: *Sed videl cet homo eruditus eorum vitiorum verisimilitudine falleris, quæ finitima videntur, & propinqua virtutibus, cùm absint ab eis, quam longè absint à virtutibus vitia.* Quod exemplis vitiorum virtutes imitantium verum esse demonstrat, sicut infrà dicturi sumus.

Lib. 4. cont. Jul. cap. 3.

Ex his videt eruditus lector, quanta securitate, & asseverantia, doctrinæque certitudine sanctus Prosper illam Augustini doctrinam tradit, quòd non sint verè virtutes infidelium, sed hoc solo ab apertissimis vulgòque notis vitijs discrepent, quod oculi imperitorum quadam specie fallente ludificentur. Docet enim expressis verbis, crebròque repetit & inculcat, eorum virtutes, quantumcunque veræ esse videantur, non esse veras virtutes, sed virtutum dumtaxat similitudines, quæ præsentem vitam ornare possunt, ad futuram conferre non possunt: sæpiùs docet, esse vitia, mendacia, non lumen, sed noctem, esse immunda, polluta, peccata, quæ ex sapientia terrena, animali, diabolica proficiscantur: non prodesse, sed obesse; esse stultitiam, per quam placeant homines non Deo sed diabolo; denique eas à Deo separare, atque damnare; ut nihil omnino superesse possit, quo de sententia ipsius & Augustini, quam expressit luculentiùs, ambigi possit. Vterque deduxit eam non ex Philosophicis Peripateticorum, aut Stoicorum promptuarijs, verum Deum ignorantium, unde omnis veræ virtutis ratio essentialiter pendet, sed ex Scripturis sacris, quas hac in re Philosophus Christianus multò tutiùs sequitur.

Ex quo fit, ut etiam ante sanctum Augustinum, nonnulli magni viri eandem veritatem in Scripturis traditam observaverint, & in scriptis suis expresserint. Nam hinc illud sancti Hieronymi in Epistola ad Rusticum: *Illi Philosophi seculi vitium vitio, peccatumque peccato mediantur: Nos amore virtutum vitia superemus.* Et in versum undecimum capitis tertij ad Galatas: *Faciamus & nos aliquid simile huic, quod dicitur: Iustus ex fide vivit; & dicamus: Castus ex fide vivit; Sapiens ex fide vivit; Fortis ex fide vivit: & à ceteris virtutum partibus vicinam sententiam proferamus, adversus eos qui in Christum non credentes, fortes, & sapientes temperantes se putant esse, vel iustos, ut sciant nullam absque Christo vivere, sine quo omnis virtus in vitio est.* Eodem tendit sanctus Ambrosius, dum quandoque omnium virtutum fundamentum tradit esse fidem; *Præclarè autem & fidem acuendo intexuit, & fidei ipsi virtutum fundamenta subiecit.* Quandoque verò omnes virtutes velut folia inutiles esse tradit sine fide: *Virtutes sine fide folia sunt: videntur virere, sed prodesse non possunt: agitantur vento, quia non habent fundamentum. Quanti gentiles habent misericordiam, habent sobrietatem, sed fructum non habent, quia fidem non habent! Labuntur cuncta folia, ubi ventus flaverit. Et aliqui Iudæi habent castimoniam, sed diuitatem lectionis multam & diligentiam: sed sine fructu sunt, & versantur ut folia. Hæc fortè sunt folia, quæ Salvator in illa ficu reperit; sed fructum non invenit. Mystica (id est, fides) salvant & à morte liberant: moralia autem ornamenta decoris sunt, non subsidia redemptionis.* Nam si fructum sine fide homines non habent, sed tantum folia, aut mali sunt, aut sterilitèr boni. Iam autem Augustinus invictè colligit: *Fieri non potest ut sterilitèr boni simus: sed boni non sumus quicquid sterilitèr sumus.* Itaque mox subjungit: *Quomodo non aut iocari aut deliras, qui sterilium fructus arborum laudas? Qui utique aut nulli sunt, aut si mali sunt, laudandi non sunt: aut si fructus boni sunt, profectò steriles arbores non sunt: imo & bonæ sunt, quarum fructus boni sunt, & debent Deo placere, cui bona arbores non possunt nisi placere.* Ante Ambrosium etiam Origenes idem ipsum ex Scripturis clarissimè docuit: cujus locum ex commentario in Epistolam ad Romanos jam ante allegavimus.

Hieron. Epist. 4.

Idem lib. 2 in Epist. ad Galat. initio

Ambros. lib. 7. in Lucam.

In Psal. 1.

Lib. 4 cont. Iul. cap. 3.

Ibid. infrà.

## CAPVT DECIMVM.

### Ratio præcedentis doctrinæ ex natura virtutis, & ejus fine petitur:

QVÆ quamvis abundè satis esse possent ijs, qui aliquid primis illis & veris divinæ gratiæ defensoribus, & Ecclesiæ magistris tribuunt, ut ijs potiùs quàm Gentilium Philosophiæ quantumcunque plausibili credant, operæ tamen pretium est, etiam rationem naturalem, cui ista doctrina nititur, quamque Scholastici trutinatores rationum plurimi faciunt, patefacere. Hæc autem non potest aliunde verior, & immobilior, & generalior peti, quàm ex ipso objecto formali virtutis, utpote quæ essentiam ejus

ejus tangat, & eam à quacunque pompatica virtutis specie naturam ejus imitante secernat.

Cùm igitur virtus sit quidam habitus animi, hoc est, affectio quadam habitualis voluntatis, natura ejus ex motu voluntatis, qui ex ea proficiscitur, considerari debet. Quapropter hoc objectum virtutis alicujus statui debet, in quod velut in objectum tendit actus ejus. Vt enim potentia ita & habitus ejus interpositis actibus objectum suum respicit. Virtus autem, ut Augustinus dicit, & Philosophi facilè affirmantur, est ordo amoris: proinde est affectio voluntatis. Nam ea quæ in intellectu virtus habitet, ea non efficit actus moraliter bonos, nisi voluntate movente vel dirigente: ut proinde ad hanc materiam nostram non aliter spectent, nisi quatenus ab aliquo amore voluntatis incitantur. Porrò voluntatis actus necessario fit propter finem: sicut hoc & experientia constat, & Philosophi docent, & sanctus Thomas ex professo tradit, & Scholastici profitentur. Vt hac de causa generalissimè sanctus Thomas velut rem certissimam affe-
1.2.q.1.a.1. rendo concludat: *Quicquid ergo homo faciat, verum est dicere, quod homo agat propter finem, etiam agendo actionem quæ est ultimus finis.* Nam etiam tum, cùm circa ea quæ sunt ad finem occupatur, ita illis oculus animæ unus intenditur ut alteri respiciat finem, & dilectione quadam *transitoria*, ut Augustinus loquitur, per illa tendat in finem. Quod sicuti in actibus voluntatis manifestum est, ita consequenter & in habitibus, quos vel efficiendo gignunt, vel unde efficiendo gignuntur, locum habet.

His ita constitutis, duo in quolibet virtuosæ voluntatis actu spectari possunt, opus quod fit, & causa propter quam fit, quæ in nullo opere ex ipsa natura voluntatis, ut jam diximus, deliberari potest. Opus vocatur *officium* quod præstatur, ut misereri pauperis, dare cuique suum, temperare à voluptatibus corporis, patienter dolores tolerare, & hujusmodi. Causa propter quam præstatur, est *finis*: qui semper in animo quidquid tandem fecerit dominatur, sive ipsum officium diligatur ut finis, sive ad aliud quippiam distinctum ab ipso referatur. Non deluerunt igitur, qui veram virtutem, quæ scilicet faceret habentem bonum, saltem naturaliter aut moraliter, & actum ejus bonum sive non malum ex solo officio seu opere quod fit spectandam esse præstio fine censuerunt. Inter hos fuit Pelagianæ hæresis architectus Iulianus, qui contendebat,
Lib. 4. cont. Iul. cap. 3. virtutes esse *affectus animi, qui voluntatis nutui servientes aut ad æterna aut ad temporalia dirigantur. Quod enim fit, inquit, non in eo quod fiunt, non in eo quod agunt, sed in eo solo variant quod meruntur. Nec omnis igitur fit possunt nec generis sustinere dispendium; sed solus quod appetiverunt præmij aut amplitudine distinguitur, aut exilitate justificantur.* Adversus istam opinionem tanquam falsissimam absurdissimamque acerrimè insurgit Augustinus, multisque eam confutat.

A Ostendit enim, secundùm illam omnium vitiosorum hominum officia, quibus à voluptatibus temperant, adversa tolerant, sua cuique tribuunt, & prudenter bonum discernunt à malo, inter officia virtutis esse numeranda; & affectus voluntatis unde manant esse virtutes: quo nihil ineptius dici potest. Cùm enim illa verba Iuliani quæ citavimus protulisset: *Vnde hæc dicere nescio: Iam tamen certè, ut arbitror, consequens esse, ut vera sit virtus avarorum prudentia quæ excogitat ut genera luccellorum & avarorum iustitia, qua gravium damnorum metu facilius sua omnunquam contemnunt, quam usurpant aliquid alienum, & avarorum temperantia, qua luxuria, quoniam sumptuosa est, cohibent appetitum, soloque necessario victu tegumentoque contenti sunt; & avarorum fortitudo, quæ, ut ait Horatius,* Ibid.

*Per mare pauperiem fugiunt, per saxa, per ignes.*

Et paucis interjectis stultitiam opinionis illius
B non dissimili absurditate declarans: *Nec aliud erat quam vera iustitia Catilinæ, comprehendere multos amicitia, tueri obsequio, cum omnibus communicare quod habebat; & fortitudo vera erat eius, quod fugit, famem, sitim ferre poterat: & vera patientia, quod patiens erat mediis algoris, vigiliis, supra quam cuiquam credibile est. Quis hæc sapiat nisi desipiat?* Ibid. Nam sine dubio si virtus solum officium respicit, quod præstatur etiam ab improbis, ut scopos suos assequantur, non minus atque à probis; scelestissimorum hominum affectus atque habitus, quibus perferunt molestias, libidines refrenant, prospiciant in posterum, beneficentiam innocentiamque conservant, inter veras virtutes quamvis imperfectas collocandi sunt.

A qua quidem sententia, quamvis immaniter à tramite veritatis exorbitet, non multum recedit quorundam opinio Scholasticorum veram virtutem esse arbitrantium, quæ
C ordinatur ad aliquod particulare bonum, dummodo sit verum bonum, & sit referibile ad universale bonum. Hoc enim si verum est, profectò vera virtus erit avarorum, ambitiosorum, superborum, & similium pestium. Quis enim dubitet, pecuniam, honorem, laudem, excellentiam, omnia denique terrena bona, quæ creavit summa bonitas, esse particularia & vera bona, & ad universale bonum posse retorqueri? Et tamen novimus avaritiam non aliud esse nisi amorem pecuniæ, nec aliud superbiam nisi amorem excellentiæ, & sic de ceteris vitijs omnibus, quæ non nisi vera bona sectantur. Non itaque sufficit esse verum bonum in quod amando ferimur, ut aliquid virtus sit; sed opus est ut & ipse amor veri boni sit bonus. Multa enim vera bona non bono amore diliguntur.

Hinc ergo nascitur, quòd, ut aliquid vera virtus sit, non solùm officium seu opus quod
D agimus, sed finis propter quem agimus omnino spectari debeat. Officium enim quantumcunque bonum per se consideratum si non fiat propter finem, quem sapientia vera præcipit, ipso non recto fine peccatum est. Ex quo fit, ut etiam causa istius operis, quæ virtus esse putaba-

putabatur, non virtus sed vitium dici debeat. Impossibile est enim ut peccatum à virtute fluat, utpote quæ juxta Philosophos quoque facit habentem bonum, & opus ejus bonum. Vnde Augustinus de peccatis quibuscunque venialibus: *Vtique illud qualecunque peccatum ex aliquo vitio venit.* Et iterum: *Si omnes ibi essent virtutes, nullum esset vitium: si nullum vitium, nullum omnino peccatum.* Vitium enim non est aliud nisi *fomes quidam*, vel *quasi radix peccati*; ut ibidem docet. Quemadmodum igitur ut opus verè bonum, hoc est, non malum sit, non tantum officium, sed etjam finis operis intuendus est; ita quoque ut sit vera virtus, seu principium operis boni. Disertissimis verbis hoc tradit velut rem indubitatam Augustinus: *Noveris itaque non officia, sed finibus à vitijs discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est; finis verò propter quod faciendum est.* Et ex operis velut effectus qualitate principij conditionem colligens: *Cum itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur. Quæ tu non attendens, fines ab officijs separasti, & virtutes veras officia sine finibus appellandas esse dixisti. Ex quo te tanta absurditas sequitur, ut veram operis appellaris iustitiam, etiam cuius dominam repereris avaritiam. Siquidem mavis abstinere ab alieno, si offerum cupiditas, potest videri esse iustitia: sed cum quæritur, quare fiat, & respondetur, ne plus pecuniæ limbus pereat, quomodo iam hoc factum veræ poterit esse iustitiæ, cum serviat avaritiæ.* Et aliquanto superius absurditatem sententiæ Iuliani patefaciens, ex qua veras esse virtutes avarorum, qui officia prudentiæ, temperantiæ, justitiæ, & fortitudinis factitant, sequebatur: *Cum enim, inquit, agitur aliquid prudenter, fortiter, temperanter, & iustè, omnibus quatuor virtutibus agitur, quæ secundum tuam disputationem veræ virtutes sunt, si ad cognoscendum, utrum veræ sint, hoc tantummodo intuendum est quod agitur, nec causa quærenda cur agatur.* Et adhuc superiùs: *Quod cum facimus* (officium prudentiæ temperantiæ, justitiæ, fortitudinis &c.) *ideo veras virtutes habemus, quia verum est propter quod facimus, hoc est, natura nostræ consentaneum ad salutem & veram felicitatem.* Quorum omnium causa ex ipsa quoque naturali Philosophia in promptu est: quia finis, ut sanctus Thomas, & post ipsum omnes docent, dat speciem actui. Ex quo fit, ut esse non possit actus bonus, neque principium ejus bonum, cujus non est finis bonus ad quem collimat.

Ex qua sanè Augustini fundatissima doctrina liquido patet, in ponderanda virtutis alicujus & officij bonitate præcipuè de fine esse satagendum. Ille quippe tanquam ultima quies, & scopus animi, in agendo & voluntati & habitui & actui summo jure dominatur, omniaque officia, quæ ex ejus imperio fluere, & ad ipsum referri debent, suo colore & sapore perfundit. Quæ sanè causa fuit, cur tanta gentiles Philosophos de summo bono digladiatio distinuerit. Omnes enim videbant, parum esse ad virtutem quod officium esse videretur bonum, nisi illud ad verum & summum animus referret bonum. Nam summum bonum ab omnibus appellatum est, non nude quod ceteris bonis dignitate præcelleret; sed ad quod animus cuncta referre debet, ad hoc ut bonus beatusque sit: hoc est, id quod propter seipsum diligendum & fruendum est, ideoque cetera cognita non nisi propter ipsum. Cùm enim in omnibus actionibus suis homo aliquid velut ultimum scopum voluntatis sibi proponat, in quo requiescendo se beatum fieri putat, omnes Philosophi summo studio quæsierunt; quid sit illud, in quo voluntas requiescere deberet, ad hoc ut opus ad istud referendo eoque fruendo beata sit. Vnde Augustinus summi boni notionem explicans ait: *Non quod alia bona non sint; sed summum id dicitur, quo cuncta referuntur. Eo enim fruendo, quisque beatus est, propter quod cetera vult habere; cum illud tamen non propter aliud, sed propter seipsum diligatur. Et ideo finis ibi dicitur, quia iam quo excurrat & quo referatur non invenitur. Ibi requies appetendi, ibi fruendi securitas, ibi tranquillissimum gaudium optimæ voluntatis.* Et libro decimo nono de Civitate Dei: *Quam quæstionem* de summo bono *maxima intentione versantes invenire conati sunt, quid efficiat hominem beatum. Illud enim est finis boni nostri, propter quod appetenda sunt cetera: & illud finis mali, propter quod vitanda sunt cetera, ipsum autem propter seipsum.* Ex quo fit, ut celeberrima de summo bono quæstio non alia quàm illa fuerit: Quidnam sit per se diligendum quid propter aliud? Quem scopum voluntas in omnibus suis officijs seu operibus habere debeat, in quo velut fine per se dilecto requiescat? an voluptatem, an honorem, an divitias, an quietem, an prima naturæ, an virtutem ipsam, seu officium bonum, an aliquid aliud? Vnde Augustinus Philosophorum recensens opiniones plurimas, ita omnes exprimit, ut propter id quod quisque summum opinabatur bonum omnia vitæ bonæ officia suscipienda censeret; ipsum autem bonum summum propter seipsum tantum in omnibus officijs diligendum. Nam generales eorum divisiones ponens: *Hæc igitur quatuor, id est, voluptas, quies, utrumque, prima naturæ ita sunt in nobis, ut vel virtus quam postea doctrina inserit propter hæc appetenda sit, aut ipsa propter virtutem, aut utraque propter seipsa.* Et statim iterum: *Cum ergo voluptas corporis animi virtuti aut subditur, aut præfertur, aut iungitur, tripartita variatur diversitate sectarum.* Quod clariùs explicans adijcit: *Subditur autem virtuti, quando in usum virtutis assumitur*, id est, propter virtutem uti finem: *Pertinet quippe ad virtutis officium & vivere Patriæ, & propter Patriam filios procreare: quorum neutrum fieri potest sine corporis voluptate. Cum verò præfertur virtuti ipsa appetitur propter seipsam. Virtus autem assumenda creditur propter illam, id est, ut nihil virtus agat, nisi ad consequendam vel conservandam corporis voluptatem. Virtuti porro voluptas iungitur, quando neutra earum propter alteram, sed propter seipsas ambæ appetuntur.* Et inferius duodecim sectarum varietatem ex varietate summi boni

Epist. 29.
Ibid.
Lib. 4 cont. Iul. c. 13.
Ibid.
Ibid.
Ibid.
D. Tho. 1. 2. q. 1. a. 3.
Epist. 56.
Lib. 19. de Civit. c. 1.
Ibid. c. 1.

Lib. 19. c. 2. boni colligens: *Hæc quippe quatuor* voluptas scilicet, quies, utrumque, prima naturæ, *dum sigillatim virtuti aliquando subduntur, ut non propter seipsa, sed propter officium virtutis appetenda videantur: aliquando præferuntur, ut non propter seipsa, sed propter hæc adipiscenda vel conservanda necessaria virtus putetur: aliquando iunguntur, ut propter seipsa & virtus & ista appetenda credantur, quaternarium numerum triplum reddunt, & ad duodecim sectas perveniunt.* Et ad tres sectas ex Varrone cuncta perducens: Ibid. *Istæ*, inquit, *tres sectæ ita fiunt: cum vel prima naturæ propter virtutem, vel virtus propter prima naturæ, vel utraque, id est, & virtus & prima naturæ propter seipsa sunt expetenda.* Et in sequenti capite eandem summi boni tanquam finis notionem crebrò repetit, ut videlicet propter illud cuncta officia suscipi debeant, cuncta appeti; ipsum autem solum propter seipsum, ut ejus appetitu homo beatus Lib. 19. c. 1. sit. *Quod enim beatum facit, ipse finis est boni.* Nec Augustinus tantum, sed ipse quoque Tullius de varijs Philosophorum opinionibus disserturus, quibus de fine boni dimicant: Lib. 5. de fin. *summum bonum*, inquit, *si ignoretur, vivendi rationem ignorari necesse est. Ex quo tantus error consequitur, ut quem in portum se recipiant scire non possint. Cognitis autem rerum finibus, cum intelligitur quid sit & bonorum extremum & malorum, inventa vitæ via est, conformatioque omnium officiorum. Est igitur quo quidque referatur &c.* Nam ut ibidem dicit, *hoc constituto in Philosophia, constituta sunt omnia.* Et infra, in sententia quæ prima naturæ boni finem statuit, *Necesse est omnino officium aut fugiendi aut sequendi ad eorum aliquid referri.* Quod mox uberius de omnibus omnino officijs ad illum finem referendis explicat. Et in alia aliorum sententia: *Alij rursus ijsdem a principijs omne officium referunt aut ad voluptatem, aut ad non dolendum &c.* Cujusmodi in eodem libro & alibi passim apud ipsum crebra sunt. Nimirum ex Philosophorum omnium sententia, qui quemcunque boni finem statuerunt, omnem actum ad illum finem uti summum bonum, ut bonus esse possit, referendum esse, conclamatum est. In hoc igitur fine boni per quodlibet officium appetendo si erratur, erratur, non in re parva, sed totius vitæ gravissimâ: dum id velut appetituum quietem expetit, per quod velut per medium transire debuisset; eoque frui cupit, quo veritas utendum esse præscribit: atque ita transitoriam dilectionem in mansoriam commutando, vitæ humanæ ordinem naturæque perturbat. Cujusmodi perversitas non potest non ipsius naturæ & æternâ lege damnari: cùm non sit aliud æterna & incommutabilis lex, cui semper obtemperandum est, & cujus unius violatione peccatur, nisi *quæ iussum est ut omnia sint ordinatissima:* vel ut alijs verbis eam describit, Lib. 22. c. 2. *Ratio divina vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari iubens, perturbari vetans.* Lib. 19. c. 13. Fausto.

## CAPUT XI.

### Epicuræorum & Stoicorum virtutes improbantur ex defectu finis; latè de virtutibus Romanorum.

QUAPROPTER videndum est, quis sit ille *finis boni*, ut Augustinus eum vocat, hoc inquam, bonum, quod ex æternæ legis ordine per seipsum solum & unicum expetendum est, & propter ipsum cetera, ut sciamus utrum vera virtus sit, quæ bona officia in infidelibus operari videbatur. Ac de isto quidem fine boni multum laboraverunt, diversisque sententijs à se invicem distracti sunt, qui olim studium sapientiæ in hujus seculi vanitate professi sunt. Et quamvis Varro in libro de Philosophia diligentissimè subtilissimeque scrutando tam multam dogmatum varietatem adverterit, ut ad ducentas octoginta octo sectas facile perveniret non tamen, eos quamvis diversis errantes modis, naturæ limes in tantum ab itinere veritatis deviare permisit, ut non alij in corpore finem istum boni, alij in animo, alij in utroque collocarent. Quâ consideratione factum est, ut Augustinus omnium veterum opinionum diversitatem ad duas omnino revocet, unam quæ in corpore, alteram quæ in animo finem boni constitueret, ad quem cuncta referri oporteret. Epist. 56. *Quantum* inquit, *pertinet ad quæstionem de summo hominis bono, remove personas hominum, atque ipsam disceptationem constituit, profecto reperies duos errores inter se adversa fronte collidi, unum constituentem in corpore, alium constituentem in animo summum bonum. Id ipsum autem rursum adunctis personis constitue, reperies Epicuræos & Stoicos inter se acerrime dimicantes.* Qua de causa duæ istæ sectæ totam quodammodo Philosophiam gentium à Christiana alienam doctrina dividentes, in Christianæ religionis exordio leguntur nomine Epicuræorum atque Stoicorum Paulo Apostolo repugnasse. Act. 17. Epicuræi igitur in corporis commodis, quiete, voluptate, dolorumque vacuitate finem boni posuerunt, hoc est, corpore suo, voluptates commoditatesque ejus studiosissimè venando, fruendum esse statuerunt. Hoc enim fruimur, quod est finis boni, ad quem cetera omnia per seipsum expetitum referenda sunt. Unde necesse fuit, ut virtutem corporis voluptatibus atque commodis per seipsas videlicet expetendis substernerent, & veluti fini omnium bonorum servire cogerent, juxta illud Augustini: *Quales virtutes Epicurus induxit voluptatis ancillas, quæ omnino quicquid facerent, propter illam vel adipiscendam facerent, vel tenendam.* Lib. 4. cont. Iul. c. 3. Nimirum, quia propter finem boni necesse est ut virtus,

virtus, in cujuscunque tandem Philosophiæ sententia, sive Gentili, sive Christiana, faciat quicquid facit.

Hanc opinionem nimis deformem, atque turpem, ipsisque virtutibus ignominiosam laudabilior quoque Gentilium Philosophia damnavit. Stoici quippe finem boni in virtute statuentes, ut incutiant pudorem Epicuræis, qui virtutes quidem probant, sed eas corporalis voluptatis fine metiuntur, solent tabulam quandam verbis pingere, ubi voluptas in sella regali quasi delicata quædam Regina consideret, eique virtutes præsto sint ut ancillulæ observantes ejus nutum, ut faciant quicquid illa imperaverit; Quæ prudentiæ jubeat, ut vigilanter inquirat, quomodo voluptas regnet & salva sit: Iustitiæ, ut præstet beneficia ad comparandas amicitias corporalibus commodis necessarias: fortitudini, ut per pristinarum deliciarum recordationem mitiget præsentis doloris aculeos: temperantiæ, ut tantum capiat alimentorum & si qua delectant, ne per immoderationem noxium aliquid valetudinem turbet, & voluptas graviter offendatur. Ita virtutes cum tota suæ gloriæ dignitate imperiosæ cuidam & inhonestæ mulierculæ servient voluptati. Nihil hac pictura dicunt esse ignominiosius, & deformius, & quod minus bonorum ferre possit aspectus: & verum dicunt. Vnde Augustinus ad hanc respiciens opinionem: *Cum præfertur*, inquit, *virtutis voluptas, ipsa appetitur propter seipsam: virtus autem assumenda creditur propter illam, id est, ut nihil virtus agat nisi ad consequendam vel conservandam corpora voluptatem.* Nempe quia, ut sæpè dixi, in omnium Philosophorum opinione ad finem boni cuncta officia referenda sunt. Et opinionis illius fœditatem censuræ Christianæ gravitate perstringens: *Quæ vita deformis est quidem, quippe ubi virtus servit dominæ voluptati, quamvis nullo modo hæc dicenda sit virtus: sed tamen etiam ista horribilis turpitudo quosdam Philosophos patronos & defensores suos habuit.*

Vide Cicer. lib. 2. ad fin.

Lib. 19. de Civit. c. 1.

Ibid.

Ac de ista quidem sententia non est nobis magna cum Christianis Philosophis disceptatio. Omnes quippe, verbo saltem tenus, eam velut alienissimam à veritate & à Catholicæ fidei sinceritate proscribunt. Quo tamen pacto non in eam aliqua ex parte incidant, quotquot voluptates corporalium sensuum moderatè appeti posse docent, fateor necdum video. Nam sive moderatius sive immoderatius appetantur, ipsæ sunt quæ appetuntur, ipsæ sunt quæ voluntatis motum terminant, in ipsis requiescit animus, ipsas diligit, ipsis fruitur: quæ omnes ipsissimæ conditiones sunt animi per illum appetitum velut in fine boni quiescentis; quod divinâ à ternâque lege damnatur. Ipsa quippe jubet, ut, si qua voluptas corporis expetenda sit, non in illa appetendo diligendoque hæreamus, sed per illam ad aliud quod appetimus ac diligimus transeamus. Nimirum voluptas sive moderata, sive immoderata corporalis non debet esse finis officij quod assumitur; sed debet esse officium respectu finis boni qui diligitur. Quod si hoc ipsum se tantum velle dicant, sententiam teneant, linguam corrigant. Sed aliud eos omnino velle exempla quibus utuntur ostendunt. Docent enim commixtionem conjugum propter voluptatem, & similes in rebus licitis delectationes esse concessas, etsi nullo alio nisi solius fine voluptatis appetantur. Quod ab Augustino innumeris lucubrationum suarum locis Scripturarum & rationum auctoritate proscriptum est. Qua de re plura diximus, cum de affectibus ac motibus animi disseremus.

Omissâ igitur illorum Philosophorum fœditate, alij potentiam intuentes animi humani, magnamque pulchritudinem factorum atque dictorum, etjamsi in corpore puduit ponere finem boni, officiorumque virtutis; in ipso tamen animo illum posuerunt. Itaque virtutis officia propter ipsum splendorem eorum ac pulchritudinem, sive propter eorum honestatem appetenda esse docuerunt. Inter quos qui ita sentiunt prævaluerunt & numero & disputandi subtilitate Stoici. Nam Peripatetici non contenti sola honestate virtutis, partem finis boni in *primorum naturæ*, hoc est, in bonorum ceterorum corporis aut animi, quæ naturæ congruunt, adeptione collocarunt. Sed si Stoicæ sententiæ quæ ceteris magis probabatur, & adhuc à Scholasticis probari videtur, falsitas intellecta fuerit, nulla supererit de Peripateticis difficultas.

Quid igitur intellexerint Stoici per illam honestatem virtutis seu bonorum officiorum, quæ virtus operatur, dum ea per seipsa appetenda tradiderunt, non ita obvium videtur esse. Augustinus enim docet, virtutes illas quæ nemini serviunt, sed per seipsæ & propter se appetuntur, superbas & inflatas esse; ideoque non virtutes esse, sed vitia. Hoc enim apertè dicit illis verbis quæ produximus ex libris de Civitate Dei: *Licet à quibusdam tunc veræ & honestæ putentur esse virtutes, cum ad seipsas referantur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ aut superbæ sunt; & ideo non virtutes, sed vitia iudicanda sunt.* Nec alio respicit libro vigesimo primo: *Nonnunquam sanè apertissima alys vitijs vincuntur occultis, quæ putantur esse virtutes: in quibus regnat superbia, & quædam sibi placendi altitudo ruinosa.* Vnde de Epicuræorum, Peripateticorum, & Stoicorum virtutibus generaliter contra Iulianum; *Proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibuscunque commodis temporalibus*, sub quibus & prima naturæ continentur, *serviunt, veræ prorsus esse non possunt: quæ autem nulli rei servire volunt, nec ipsæ veræ sunt.* Illæ sunt autem virtutes Stoicorum, quæ nulli rei nisi sibi ipsæ servire voluerunt. Et sanè si ulla natio inter gentes veris virtutibus claruit, vel virtutem propter ipsam virtutem atque honestatem appetendam esse judicavit, ea profectò Romana fuit: ut propterea de illis dixerit Augustinus, diabolum *sivisse* aliquos *habere nonnulla velut opera bona, in quibus laudentur per quasque gentes, præcipuèque in gente Romana, qui praeclarè*

Lib. 21. de Civit. c. 25.

Lib. 19. de Civit. c. 16.

Lib. 4. con. Iul. c. 3.

Epist. 107.

*præclarè gloriosissimèque vixerunt*: Et tamen Romanorum virtutes, etjam eorum, qui probissimi maximè laudabiles fuisse memorantur, superbiæ, vanitatis, jactantiæque vitio fœdatas fuisse, frequenter & ex professo docet. Audi quis Romanorum, non omnium (quia multi fuerunt improbissimi) sed probissimorum in sectanda virtute fuerit scopus qui virtutem propter virtutem quàm accuratissimè sectari videbantur: *Veteres primique Romani, quantum eorum docet & commendat historia &c. laudis avidæ, pecuniæ liberales erant; gloriam ingentem, divitias honestas volebant: hanc ardentissimè dilexerunt, propter hanc vivere voluerunt, pro hac & mori non dubitaverunt. Ceteras cupiditates huius unius ingenti cupiditate presserunt. Ipsam denique patriam, quoniam servire videbatur inglorium, dominari verò atque imperare gloriosum, prius omni studio liberam, deinde dominam esse concupierunt.* Et ibidem paulo inferiùs: *Ista ergo laudis aviditas & cupido gloriæ, multa illa miranda fecit, laudabilia scilicet atque gloriosa secundum hominum existimationem.* Et iterùm: *Hæc illa profectò laudis aviditas & gloriæ cupido faciebat. Amore itaque primitus libertatis, post etiam dominationis, & cupiditate laudis & gloriæ multa magna fecerunt.* Rursum paucis interjectis: *Hoc insitum habuisse Romanos, etiam Deorum apud illos ædes indicant, quas coniunctissimas constituerunt, virtutis, & honoris, pro Dijs habentes, quæ dantur à Deo. Vnde intelligi potest, quem finem volebant esse virtutis, & quo eam referebant qui boni erant, ad honorem scilicet. Nam mali nec habebant eam, quamvis honorem habere cuperent.* Denique iterum in eodem capite: *Idque imperium talibus potissimum concessit hominibus ad domanda gravia mala multarum gentium, qui causâ honoris, laudis, & gloriæ consuluerunt Patriæ, in qua ipsam gloriam requirebant: salutemque eius saluti suæ præponere non dubitaverunt: pro isto uno vitio, id est, amore laudis, pecuniæ cupiditatem, & multa alia vitia comprimentes.* Et in eodem libro aliquot capitibus interpositis: *Si neque hanc eis terrenam gloriam excellentissimi imperij concederet Deus, non redderetur merces bonis artibus eorum, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur.* Quibus attexit iterum paulo post: *Sic & isti privatas res suas pro re communi, hoc est, Republica, & pro eius ærario contempserunt, avaritiæ restiterunt, consuluerunt Patriæ consilio libero: neque delicto secundum suas leges, neque libidini obnoxij. Sed his omnibus artibus tanquam verâ viâ*, juxta sensum Salustij, cujus illa verba sunt, *nisi sunt ad honores, imperium, gloriam:* Hæc & hujusmodi, quæ Augustinus constantissimè docet, satis perspicuè declarant, quo Romana illa indoles, quæ maximè omnium veris virtutibus excelluit, per virtutem pervenire niteretur. Vt propterea merito de totius gentis illius genio, quo virtutem sectabatur, exclamaverit: *O animum Civitatis laudis avidum, germanè jus Romanum.*

Lib. 5. de Civit. c. 12.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Lib. 5. c. 15

Ibid.

Lib. 2. de Civit. c. 13.

Nequis verò generalem istam tantummodo Civitatis indolem fuisse, nonnullos tamen meliori scopo virtutem honestatemque coluisse putet, sigillatim quoque laudatissimorum Romanorum scopum istum fuisse testatur. Nam de Bruto dicit, cùm liberos suos pro Patriæ incolumitate interemisset, quod eum vicerit *laudis immensa cupido*. De Camillo, quod Patriam idcirco iterum à Gallis liberaverit, *quia non habebat, potiorem, ubi posset vivere gloriosius*. De Marco Puluillo filium insepultum abijci præcipiente, quod *in eius corde orbitatis dolorem gloriæ cupiditas vicerat*. De Marco Regulo, quod ideo reversus fuerit ad Carthaginenses, quia sicut ipse responderat, *posteaquam Afris servierat, dignitatem illic honesti civis habere non poterat*: Et quòd etjam ipsum primum bellum Punicum confecisset, *nisi aviditate nimiâ laudis & gloriæ, duriores, quàm ferre possent conditiones fessis Carthaginensibus imperasset*. De Lucij Valerij. Q. Cincinnatis, Fabricij, & similium paupertate divitiarumque contemptu, quod illa fecerint *pro conservandâ gloriâ Romanorum*. De Catone, quod *honores quos petijt petere non debuit*. De Caio Cæsare, quod *laudis aviditate gloriæque cupidine exercitum bellumque novum exoptaret, ubi virtus emtescere posset*: quos tamen duos ingenti virtute sua memoria, fuisse Salustius testis est. Hanc regulam de ceteris omnibus probatiorum Romanorum virtutibus figit, *quas*, inquit, *isti pro civitatis terrenâ gloriâ tenuerunt*. Vnde illud ejus præclarum Epiphonema: *Hæc sunt duo illa, libertas, & cupiditas laudis humanæ, quæ ad facta compulere miranda Romanos*.

A

B

C

Lib. 5. de Civit. c. 12.

Ibid.

Ibid.

Lib. 5. de Civit. c. 12.

Ibid.

Nec Augustini tantum, sed & ipsorum doctissimorum in Romana gente scriptorum sententia fuit, omnia illa laudanda, quæ tanquam virtutum opera miramur, Romanos humanæ laudis & gloriæ cupiditate patrasse. Hinc illud Virgilij de Bruto filios occidente:

*Vicit amor Patriæ, laudumque immensa cupido.*

Hinc illud Ciceronis in libris de Republica, ubi de Principe civitatis instituendo loquitur: *Principem alendum esse gloriâ*. Et ut Augustinus testis est, consequenter commemorat: *Maiores suos multa mira atque præclara gloriæ cupiditate fecisse*. Hinc illud Salustij, quo partim probissimorum Romanorum mores quibus vivebant exprimit, partim quibus vivendum esset, informat: *Primo magis ambitio quam avaritia animos hominum exercebat: quod tamen vitium propius virtuti erat. Nam gloriam, honorem, imperium, bonus & ignavus æquè sibi exoptant: sed ille verâ viâ nititur*, inquit, *hic quia bonæ artes desunt, dolis atque fallacijs contendit*. Quam sententiam explicans Augustinus ex mente Salustij, gentisque Romanæ: *Via virtus est, qua nitiur tanquam ad possessionis finem, id est, gloriam, honorem, imperium. Hæ sunt illæ bonæ artes, per virtutem scilicet, non per fallacem ambitionem, ad honorem, & gloriam, & imperium pervenire.*

Lib. 5. de Civit. c. 12.

Ibid.

Ibid.

Quod si in gente Romana, ubi maximè laudabiliter juxta Augustinum, præclarè gloriosissimèque vixerunt, & consequenter maximè virtutem propter virtutem, & honestatem ejus colere videbantur, virtus eorum tantæ inanitatis turpitudine inflata atque superba fuit, alterutrum vel utrumq; videtur necessariò esse

D

esse consequens, vel ut Philosophi, qui virtu- A
-em propter honestatem ejus sectandam esse
atuerunt, per illam honestatem nihil aliud
lligerent, quàm ipsam virtutis eminen-
, splendorem, ac decus, quatenus laude,
riâ, & honore digna est; vel certè ut hoc
m, quod est virtutem propter virtutem
ere, seu ipsa virtutis officia propter ipsa ex-
ere, non possit à superbia & vanitate se-
gi. Quorum utrumlibet verum fuerit,
spicuum erit virtutes Philosophorum non
ras virtutes, sicut Augustinus docet, fuisse,
d vitia. Si primum intellexerint, vel certè
uicquid tandem intellexerint) si isto modo
irtutes exercuerint, sicut probissimos eorum
xercuisse, tot tantaque Augustini ipsorumque
Gentilium testimonia declarant, apertissi-
mum erit, non virtutem, sed pompaticam
quandam virtutis effigiem loco virtutis apud
eos viguisse. Nam officia virtutum colere,
quia splendida, decora, gloriâ, laudeque dig-
na, non est aliud quàm splendorem, decus;
gloriam, atque laudem affectare. Nemo au-
tem Catholicus, arbitror, negare finitur, lau-
dis, honoris, gloriaque *cupiditatem esse vitium*,
cui, ut idem sanctus Doctor, *melius resistitur*
*sine dubitatione, quàm cedit*ur. *Tantò enim quisque*
*est Deo similior, quantò ab hac immunditia mun-*
*dior.* Hoc autem primo modo doctrinam de
virtutibus, per se & ipsius honestatis intuitu
expetendis, Romanorum doctissimos non so-
lum coluisse, sed & intellexisse atque tradi-
disse, testimonijs nonnullis declarari potest.
Nam præterquam quòd Salustij citata verba
hoc omninò volunt, Tullius in libris de quæ-
stionibus Tusculanis hoc evidenter docet.
Nam in primis methodum tradens dolorem
superandi, quem Epicurus malorum finem
esse statuebat: *Dum tibi*, inquit, *turpe, nec dig-*
*num viro videbitur, gemere, eiulari, frangi, debi-*
*litari, dolore, tum dignitas tum decus aderit: tuq;*
*in ea intueberis, te continebu.* Ecce decus, dig-
nitatem, virilitatem intuendam docet in illo
dolore superando: quæ nihil nisi quandam
celsitudinem spirant, qua pascitur & oblecta-
tur inanitas. Et infra ostendens, quo sensu,
intuitu honestatis molestiæ perferendæ sint:
*Nihil habet natura præstantius, nihil quod magis*
*expetat, quàm honestatem, quàm laudem, quàm*
*dignitatem, quàm decus. Hisce ego pluribus nomini-*
*bus unam rem declarari volo: sed utor, ut quàm*
*maximè significem, pluribus. Volo autem dicere,*
*illud homini longè optimum esse, quod ipsum sit op-*
*tandum, per se à virtute profectum, vel in*
*ipsa virtute situm, suâ sponte laudabile.* Quibus
ex verbis manifestum evadit, Philosophos,
interprete Cicerone, dum virtutem propter
honestatem seu propter se expetendam cen-
suerunt, per honestatem eos nihil aliud intel-
lexisse, quàm quandam ipsius virtutis altitu-
dinem ac decus, atque laudabilitatem, tan-
quam quæ omnis omninò virtutis officio in-
separabiliter juncta sint: quibus fit ut homo
excellat & magnus sit, si non in oculis homi-

Lib. 5. de Civit. c. 13. & 14.

Lib. 2. qq. Tusc.

num ceterorum, saltem suis. Neque enim
gloriam illam, honorem, laudemque popu-
larem voluisse Ciceronem vel Philosophos
per virtutem appeti, ex libro eius secundo de
finibus, ipsoque secundo Tusculanarum quæ-
stionum, est certissimum. Porro talem vir-
tutis honestatem ac decus expetere velut om-
nis virtutis finem, non est dubium esse perfe-
ctæ vanitatis atque superbiæ. Quid enim est
aliud inflatio atque superbia, nisi appetitus
celsitudinis? Velle enim excellere, glorio-
sum, decorum, laudabilem esse per virtutis
officia, non est aliud quàm superbire, quàm
inaniter extolli animo, quàm placere, si non
alijs, certè sibi. Non diffitetur hoc ipse Tullius
in eodem libro, clarissimèque verbis explicat,
id ipsum per virtutem placere sibi, pulchrum-
que esse in oculis suis, omnis Romanæ Philo-
sophicæque scopum fuisse virtutis: *Conside-*
*randa*, inquit, *nobilitas mortis & gloria. Hæc sola*
*tia dolorum.* Et rursum: *Tibi si recta probantur,*
B *placebis, tum non modò tu te vicerit, sed omnes, &*
*omnia.* Et mox docet in dolore tolerando sibi
proponendam esse *amplitudinem, & quasi quan-*
*dam exaggerationem, quàm altissimam animi, quæ*
*maximè eminet contemnendis & despiciendis dolori-*
*bus. Vnam esse omnium rerum pulcherrimam, eoq;*
*pulchriorem, si vacet populo, neque plausum captans*
*se tantùm ipsa delectet.* Nimirum, *quia nullum*
*theatrum virtuti conscientiâ maius*, in quo scilicet
ipse virtutem habens, se spectat, se admira-
tur, sibi de virtute placet, etsi ceteris displic-
eat omnibus.

Lib. 2. qq. Tusc.

Hæc ergo videtur esse ratio, cur perpetuò
velut vitia improbet Philosophorum Roma-
norum virtutes Augustinus. Quamvis enim
gloriam laudemq; popularem quidam eorum
contemnere viderentur, alio tamen occul-
tiori modo, in idem vitium inciderunt, dum
C celsitudini virtutis inhiantes, non alijs quidem
hominibus quorum judicia contemnebant, se d
sibi ipsis, qui & homines erant, de virtute sua
placuêre. Docet hoc præclarissimè in libris
de Civitate Dei: ubi doctrinæ suæ, qua Ro-
manos laudibus & gloriæ humanæ inhiasse
docuerat, opponi posse videns, quòd eorum
aliqui sprevissent gloriam laudemque popula-
rem, sic difficultatem expedit: *Nec illi se ab ista*
*defenderint fœditate, qui cum aliena spernant iudi-*
*cia velut gloriæ contemptores, sibi sapientes videntur,*
*& sibi placent. Nam eorum virtus, si tamen ulla est,*
*alio modo quodam humanæ subditur laudi. Neque*
*enim ipse qui sibi placet homo non est. Qui autem verâ*
*pietate in Deum quem diligit credit & sperat, plus*
*intendit in ea in quibus sibi displicet, quàm in ea, si-*
*qua in illo sunt, quæ non tam ipsi quàm veritati, id*
*est, Deo placent.* Quem Philosophici animi in se-
ctanda virtute statum etiam alibi respicit, &
penè citatis Tullij verbis exprimit, quibus
virtutem seipsam tantùm oblectare declarave-
D rat: *Hoc*, inquit, *totum recte sit, cum sit propter*
*ipsum, id est, quando gratis amatur ipse* Deus.
*Alioquin quando sibi homo multum placet, & de sua*
*virtute confidit, si traditur in desideria superbiæ suæ,*
*tantò amplius augetur hoc malum, quantò magis ei*

Lib. 5. de Civit. c. 20.

Lib. 5. contra Iul. c. 3.



cupidi-

*cupiditates cetera cesserint, eaſq; velut laudabilis hanc suam oblectando compressera.* Et alibi docet, *Superari vitia apertissima vitijs quibusdã occultis, quæ putantur esse virtutes: in quibus regnat superbia, & quædam sibi placendi altitudo ruinosa. Tunc itaque victa vitia deputanda sunt cùm Dei amore vincuntur &c.* Quibus verbis superbas illas Philosophorum virtutes digito ostendit. Hoc ergo proprium Philosophicæ virtutis, quando erat etiam defæcatissima, fuit malum, quòd virtutis quãdam celsitudine ruinosa delectati, illam ideo expeterent, ut in oculis suis excellerent, sese oblectarent, sibi placerent, qui per illam Deo, seu, ut Augustinus loquitur, veritati placere velle debuissent. Quod sibi placendi malum ita arctè adhæret ijs, qui neque Deo neque hominibus per virtutem suam placere desiderant, ut fieri omninò non possit, quin in illud incidant, ut paulò post dicturi sumus. Vnde Augustinus in illis omnibus tribus paulò ante citatis locis, amorem Dei inculcat, tanquam per quem soli Deo placendo vitium illud superbiæ, quo quis sibi de pulchritudine virtutis veluti defæcatæ placet, evitari potest. Vnde alibi: *Vt non superbiat*, in virtutibus proficiendo, *quid debet facere? Leves oculos suos ad illum, qui habitat in cælo. Non se attendat. Omnis enim superbus se attendit, & magnus sibi videtur, qui sibi placet. Sed qui sibi placet, stulto homini placet; quia ipse stultus est, qui sibi placet. Solus securus placet, qui Deo placet.* Quapropter qui non levat oculos suos ad illum, ut ei de pulchritudine virtutis placeat, sed ipsam unicè velut finem boni, pulcherrimam celsissimamque miratur, impossibile est ut eam vel appetens non inde sibi placeat, vel non inde sibi placere volens appetat. Cùm enim necessarium omninò sit, ut aliquâ re mens humana delectetur, quo, quæso, alio oblectari potest mens aliena à Deo, ceteraſque viliores contemnens creaturas, ut supponimus, quàm illo quod in rebus creatis præstantissimum credit? Hoc est autem mens ipsa virtute jam decorata quem sui-ipsius ornatum omnium pulcherrimũ arbitratur. Sibi ipsi-ipsi ergo necessariò de virtute placet, qui per eam Deo vel alijs hominibus placere non cupit. Cujus rei radicem subtilissimè, solidissimèque detexit Augustinus adversus Iulianum: *Nihil est in creaturis, quod attinet ad institutarum divinitùs merita naturarum, rationali mente præstantius. Vnde fit consequens, ut mens bona*, id est, virtute prædita, *magis sibi placeat, magisq; seipsa delectet, quàm qualibet alia creatura.* Ecce nihil omninò magis delectat mentem, quæ sibi videtur esse virtuosa, nihil magis placet quàm, mens bona ipsa sibi: ut fieri omninò non possit, quin sibi placeat, quando per eas Deo præstantiori quem nescit, placere non cupit. Sed audi, quàm perniciosa inflataque sit hujusmodi sui-ipsius in virtute complacentia: *Quàm verò periculosè, imò perniciosè sibi placeat, cùm per hoc tumescit typho, & morbo inflationis extollitur, quandiu non videt, sicut videbit in fine, summum illud & immutabile bonum, in cuius comparatione se spernat, sibiq; illius charitate vilescat, tantoq; spiritu eius impleatur, ut id sibi non ratione sola, sed æterno quoque amore præponat, multum est disputando velle monstrare. Sapit hæc qui fatigatus fame revertitur ad semetipsum, & dicit: Surgam, & ibo ad Patrem meum.* Nam solâ illâ reversione ad Patrem, illâ levatione oculorum in cælum, illâ voluntate placendi per virtutem veritati, illo, inquam, amore Dei velut unico, sincerissimo, verissimoque fine virtutis, evitari potest, ne virtus non modò Gentilium Philosophica, sed & Christiana sibi ipsi superbiendo placeat, & vitium, quæ virtus esse putabatur, fiat. Nam quod sibi placere vitiosum sit, non opus esse puto probare Christianis, qui Apostolum Paulum audiunt commonentem: *Debemus autem non nobis placere*: & Petrum graviter culpantem, *audaces, sibi placentes*: & Augustinum utriusque quasi interpretem: *Etiam intus est aliud in eodem genere* (vanæ gloriæ) *tentationis malum, quo inanescunt qui placent sibi de se, quamvis alijs vel placeant, vel displiceant, nec placere affectent ceteris. Sed sibi placentes multùm tibi displicent.* Et quia difficillimum rarissimumque est, ut qui sibi virtutis decus appetendo aut possidendo placet, non etiam per illam alijs placere, hoc est, ab ijs amari, laudari, glorificari velit: hinc est quòd rectissimè Augustinus generatim de Romanorum virtutibus docuit, eas fuisse laudis, honoris, gloriæque humanæ intentione vitiatas; quam vel ab alijs hominibus venati sunt, vel certè à seipsis, (nam & ipsi utique homines sunt) quibus virtute suâ placere voluerunt.

Ps. 121.

Lib. 4. contra Iul. c. 3.

Tibi.

Rom.

2. Pet.

Lib. 10. Confess. cap. 31.

## CAPVT XII.

### Vberiùs declaratur superbiæ radix, quæ in virtutibus Philosophicis ac Romanis latuit.

SED quia nonnulli Scholastici doctrinam Augustini & Prosperi, qua talem voluntatem appetendæ virtutis superbam esse tradunt, simpliciter intellectam *incredibilem esse* dicunt, *& ab Augustini mente alienum*, res ista paulo uberiùs & ratione & Augustini auctoritate declaranda est. Quod ut liquidiùs intelligatur, certissimo Christianæ religionis principio insistendum est, quodcemur, creaturâ seu re creatâ frui esse vitiosum,

Suarez. l. 1. de grat. c. 7. num. 11.

sum, & incommutabilis æternæque legis au- A tas; amor honoris ambitio; amor laudis & & gloriæ, inanitas; amor excellendi, superbia; amor dominandi & regendi, vitium innominatum, quod in Tyrannorum animis prævalet, & infinita similia. Res istæ omnes, quæ per ista vitia diliguntur, bonæ sunt. Quis enim neget pecuniam, divitias, cibos, voluptatem sensuum, corpora pulchra, vindictam, præfecturam, scientiam, honorem, laudem, gloriam, excellentiam, dominationes esse bonas in ordine creaturæ? Sed creaturas bonas amare non est bonum. Hoc enim hic amare dicimus, quod est eis propter se ad fruendum inhærere, sicut omnes istis morum labibus vitiosi creaturis illis dilectione colligati frui volunt, ideoque vitiosi sunt. Sicut ergo in omnium ceterarum creaturarum mansoria dilectione aliquod vitium est, quamvis plurima nominibus careant; ita & in fruendis ipsis virtutibus vitium est, quod Augustinus non aliud nisi superbiam esse docet. Nec enim aliud habet virtus nisi ipsam illam supremam creaturæ rationalis excellentiâ, propter quam à Philosophis appeteretur, diligeretur, ad sui fruitionem animos eorum pelliceret, menti placeret, & mens ipsa sibi. Huic autem excellentiæ propter illam excellentiam inhiare, nec est, nec esse potest aliud vitium quàm superbiæ. Nam inde & non alio ex fonte nascitur, quòd virtute non tantum Philosophicâ, sed etiam Christianâ gloriari, hoc est, illius excellentia animum oblectare, illâ perfrui, in illa sibi placere, perfecta superbia sit. Non enim oritur illud vitium ex eo, quòd homo in rebus malis sibi placeat; sed potissimùm quòd in bonis, eoque proniùs, quò fuerint excellentiores.

Neque verò virtutibus tantùm, sed quacunque creata rerum optimarum gaudere C præcellentia, sive divitiarum, sive potestatum, sive scientiarum, sive honorum, sive nobilitatis, sive alterius cujuscunque creaturæ, si animus illius pascatur excellentiâ, & in ea appetenda conquiescat, quantumvis sub alijs rationibus etiam bonis considerata alterius rationis gignant vitia, ruinosæ illius superbiæ labe non caret. Manifestum est enim in illis omnibus amorem excellentiæ dominari: *Amor autem excellentiæ superbia vocatur*, inquit Augustinus. *Serm. 53. de verb. Dom. cap. 3.*

Ex hac autem ipsa appetendæ virtutis consideratione alia ratio superbiæ proficiscitur. Stoici enim & quotquot virtutis officia propter ipsam eorum honestatem appetenda pulchritudinemque sentiebant, rationem humanam, cui hoc maximè consentaneum esse judicabant veluti Dominam & Reginam omnium præcellere volebant, cui veluti supremum tenenti principatum super ceteras animæ partes cuncta servirent. Hinc enim toties D crepant, officia virtutis esse honesta & expetenda, quia rectæ rationi consentanea sunt. In hoc autem ipso appetendi virtutis modo superbia perfecta latet. Cùm enim in ista inconvenientia cum ratione duo reperiantur extrema,

*Lib. 83. 77. quæst. 30.*

*Lib. 1. de doctrina Christiana c. 3.*

*Ibid. c. 4.*

*Ibid. c. 11.*

Hoc igitur constituto, sicut nemo sanæ fidei Christianus negare potest, omnes istos cujuscunque opinionis Philosophos graviter in isto fine omnium officiorum atque appetendorum, sibi præstituendo aberrasse; ita negari non potest, in eo appetendo, per se diligendo, fruendoque peccasse. Creaturam enim qualemcumque & quantamcunque suorum appetitum & actionum finem expetere, inde beatum velle fieri, illâ frui, prima vitæ humanæ perturbatio & perversio est: quæ ut non sit mala, nec Deus ipse efficere potest. Est enim contra legẽ æternam omnis peccati & rectè facti normam immutabilem, quæ jubet ut omnia sint ordinatissima, quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat.

Hinc ergo nascitur, ut, sicut omnis creaturæ dilectio seu fruitio vitiosa est, ita & pro creaturarum quantumvis bonarum atque licitarum diversitate diversa vitia ex earum dilectione & fruitione proficiscantur. Nam inde fit, quòd amor pecuniæ quantumlibet necessariæ sit avaritia; amor cupediarum, gula; amor voluptatum carnalium, libido; amor pulchrorum corporum lascivia; amor vindicandi, ira; amor sciendi, curiosi-

ma, officium virtutis quod est consentaneum, & ipsa ratio cui consentaneum est, extremum terminans Philosophorum appetitum est ipsa ratio, quatenus Domina, & Imperatrix, & extrema norma vitæ bonæ. Quo fit ut quisquis ita virtutem appetit, rationem suam veluti principantem adoret, illi serviat, illam colat, omniaque prosequatur & fugiat, quia suis veluti decretis & oraculis consentit aut dissentit: quod sine dubitatione superbia, cultus, honor, & complacentia sui-ipsius est. Sicut enim cultus, honorque Regis est non postremus, quodlibet imperatum facere quia ipse jubet, ipsi visum est, ipsius voluntati rationique consentit: ita profectò perfectissima sui-ipsius complacentia, suique cultus est, velut Reginæ dominantis, præscribentis, decernentis, jubentis, & vetantis, cùm ratio quippiam appetit aut fugit, quia sibi consonum est aut dissonum. Vnde vox illa Ciceronis stoicè philosophantis: *Præsto est Domina omnium & Regina ratio, quæ commixa per se, & progressa longiùs fit perfecta virtus: hæc ut imperet illi parti animi, quæ obedire debet, id videndum est viro.*

Lib. 2. 99. Tusc.

Sed advertere debebat illa Domina omnium & Regina ratio, se non cernere quid imperandum, quid vetandum, quid faciendum, quid omittendum sit, nisi in æternis & incommutabilibus regulis æternæ veritatis: quas cùm attingit, ejus luce perfunditur; cùm non attingit, in tenebris suis manet, nihil cernens volutansque secum nisi inania & falsa phantasmata sua. Proinde siquid in humanis dictis atq; factis faciendum aut omittendum videt, propterea faciendum vel omittendum est, quia veritas ipsa incommutabilis, cujus lucis impressio rationem rectam facit, sic dictat, sic jubet, sic vetat. Etenim ratio non est, aut esse debet nisi ancilla primæ veritatis, quæ excipiat lucem ejus, ut præluceat voluntati. Cum verò se ipsa velut supremam regulam sequi cupit, loco ancillæ se Dominam ac Reginam facit, imperium præripiens æternæ veritati, à qua ipsi, ut omnium creatrice naturarum, & rectrice rationum, omnis vera cognitio & jussio affulsit: sed jussio vicaria, non principalis, instar præconis declarantis, non principis Reginæque dominantis: *Nam mente,* ut Augustinus, *non est superior, cui subdita regenda est, nisi Deus.* In hoc igitur Philosophorum perversitas fuit, quòd cùm Epicurum rectè reprehenderent, eo quòd virtutes faceret voluptatis ancillulas, quibus instar lascivæ delicataque Dominæ imperaret, ipsi principatum istum humanæ rationi traderent: quæ omnibus suo arbitratu præsidens, omnem virtutem velut summum bonum, & consequenter omnem felicitatem ex se peteret, sibi daret, se adoraret & coleret, ipsa serviret nemini, nullius imperio subjaceret. Quod quantæ sit superbiæ & fastûs, nemo pestis illius occultissimæ peritus non videt. Cernit enim non minùs esse perversum, ut officia vitæ bonæ seu virtutes voluptati serviant, quod Epicuri malum fuit; quàm ut humanæ laudi, honori

Lib. 15. de Civit. c. 27.

A & gloriæ, sive ab alijs, sive à seipsis expetendæ, quod Romanorum; vel sibi ipsis Reginæque rationi, quod Stoicorum; vel simul primis naturæ, quod Peripateticorum. Sed illa lex imperturbabilis, quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat, hoc præscribit & jubet, ut ille qui solus & verus est omnium Dominus omnibus imperet, sicut rebus ceteris, ita & virtutibus humanæque rationi; utraque vero æternæ veritati atque sapientiæ serviant imperanti. Quod profundissimè vidit, plenissimèque expressit Augustinus, quando dixit: *Absit ut virtutes vera cuiquam serviant, nisi illi, vel propter illum cui dicimus: Deus virtutum converte nos.* Ex qua sanctissima regula superbas sive Peripateticorum, sive Stoicorum, sive quorumcunque virtutes damnans: *Sanctorum Martyrum non magna solùm, sed etiam pia virtus. Ipsa enim est utilis virtus, imo ipsa est vera & sola dicenda virtus, quæ non militat typho, sed Deo.* Et Philosophorum omnium in tres generales classes redactorum virtutes ex eadem regula Christiana jugulans: *Proinde*, inquit, *virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibusque commodis & emolumentis temporalibus serviunt, veræ prorsus esse non possunt: quæ autem nulli rei servire volunt*, cujusmodi sunt virtutes Peripateticorum atq; Stoicorum, *nec ipsæ veræ sunt. Veræ quippe virtutes Deo serviunt in hominibus, à quo donantur hominibus: Deo serviunt in Angelis à quo donantur & Angelis. Quicquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere veræ sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.*

Lib. 1. Serm. 1. Appel. Nazianz. Orat. 1. Lib. 4.

Ex his jam facilè elucet alia ratio superbiæ Peripateticorum atque Stoicorum in appetenda virtute propter virtutem. Nam hoc ipso quo virtutem animi sui, seu, uti Tullius loquitur, Dominæ omnium ac Reginæ rationis finem boni statuerunt, animo quoque suo veluti omnis beatitudinis atque felicitatis fonte voluerunt frui. Illa quippe ipsissima natura est finis boni, seu illius, quod velut omnium officiorum finis appetitur quod propter se diligitur, quod non aliò referendum constituitur cui propter se inhæretur; ut eo frui, eoque beati fieri velimus: sicut omnium Philosophorum contestatione certissimum est. Nam id circò Epicuræi fruitionem atque beatitudinem in voluptate, alij in quiete, alij in doloris vacuitate, alij in primis naturæ posuerunt quia illa propter se velut finè boni appetenda, illis propter se inhærendum, ad illa omnia vitæ officia referenda sive sola, sive cum alijs juncta, censuerunt. Omnes igitur illi tanquam repentes humi corpore suo fruendum, & è corpore felicitatem aucupandam esse judicarunt. Quod etsi aliqua ex parte puderet Peripateticos, & ex toto Stoicos; cùm tamen in animo seu mente, velut Reginâ omnium finem boni collocaverint, infra utique posuerunt, quàm ubi sincerissimâ ratione ponendum est. Animo quippè suo & ejus bonis, sicut Epicurus corpore, gaudendum fruendumque senserunt, & ex eo petendam beatitudinem.

citudinem. Vnde Augustinus, cùm nihil in ipso homine esse cerneret, nisi corpus & animam, unde beatitudo à Philosophis petita fuerit vel posset peti, in Epicuræis & Stoicis veluti duobus omnium Philosophorum exremis omnes compellans: *Quid dicitis*, inquit, *Epicuræi, quæ res facit beatam vitam? Respondent: voluptas corporis. Quid dicitis Stoici, quæ res facit vitam beatam? Respondent: virtus animi &c. Quantum ad hominem pertinet, si ab illo est vita beata, nihil restat præter corpus & animam. Aut corpus est causa beatæ vitæ, aut anima est causa beatæ vitæ: si plus quæris, ab homine recedis.* Et in serm. de verbis Apost. *Fuerunt Philosophi seculi huius, alij putaverunt non esse beatitudinem nisi secundum carnem vivere, & bonum hominis in voluptate corporis posuerunt. Isti Philosophi Epicuræi dicti sunt &c. Exstiterunt autem alij superbi, quasi à carne se removentes, & totam spem beatitudinis suæ in anima sua constituentes, posuerunt summum bonum in virtute suâ. Tales fuerunt Philosophi, qui Stoici nuncupati sunt: illi secundum carnem viventes; isti secundum animam viventes: nec isti, nec illi secundum Deum viventes.* Et inferiùs: *Dicebat Epicurus: Mihi frui carne bonum est. Dicebat Stoicus: Mihi frui meâ mente bonum est. Dicebat autem Apostolus: Mihi autem adhærere Deo bonum est: Dicebat Epicurus: Beatus, cuius est in fructu voluptas carnis eius. Dicebat Stoicus: Imò beatus, enim est in fructu virtus animi eius. Dicebat Apostolus: Beatus cuius nomen Domini spes eius.* Iam verò dubitari non potest, quin quemadmodum animus carnalissimus est, porcorumque veriùs quam hominum, qui corpore suo, & ejus voluptatibus frui cupit: ita superbissimus sit, qui seipso, & suâ virtute velut boni fine, & felicitatis fonte, vel ejus parte gaudere cupit. Nam ut rectissimè Augustinus de talibus Philosophis Peripateticis atque Stoicis loquens: *Cùm seipso sibi quasi suo bono animus gaudet, superbus est.* Nec rationem alibi tacet: *Cùm ergo anima in seipsa delectatur, nondum re incommutabili delectatur, & ideo adhuc superba est, quia se pro summo habet, cùm superior sit Deus.* Ideoque paulò ante & passim a *superbos* appellat Stoicos; & eorum b *superbas inflatasq; virtutes*, superbumque conatum fabricandi sibi beatitudinem, dum virtutem propter seipsam expetendo, ratio seipsâ suâque virtute fruitur. *Quam beatitudinem isti Philosophi quoniam non videntes nolunt credere, hic sibi conantur falsissimam fabricare, quanto superbiore, tanto mendaciore virtute.*

Propter hanc igitur superbiam Philosophorum honestiorum, qui virtutem propter se expetentes, mente & virtute suâ frui cupierunt, docet idem Augustinus, non tantum Epicuræos, qui virtutis officia ad carnis oblectamenta retulerunt, sed etiam Stoicos vixisse secundùm carnem, quantumcunque à carne recessisse viderentur. Nam de utrisque loquens: *Sicut*, inquit, *loquitur Scriptura divina, secundùm carnem vivere utrique mouseruntur.* Secundùm carnem autem vivere, juxta veracissimæ Scripturæ & Augustini sensum & phrasim, non est sterilitèr bene, sed culpabiliter malè vivere. *Secundùm carnem vivere*, inquit ibidem Augustinus, *profectò malum est, cùm ipsa carnis natura non sit malum.* Et Apostolus ei attestatur: *Si secundùm carnem vixeritis, morieminì.* Et: *Prudentia carnis*, qualis omnium Philosophorum & secundùm carnem viventium fuit, *mors est.* Quamobrem Augustinus, cùm recens à conversione suâ Philosophorum phrasi dixisset in libris adversus Academicos, nihil aliud esse beatè vivere, nisi *secundùm id quod in homine optimum est vivere*, hoc est, ut explicuerat, secundùm *mentem atque rationem*, sicut hoc apud Stoicos Peripateticosque celeberrimum est; jam provectior in Christiana doctrina id retractavit. *Quantum*, inquit, *attinet ad hominis naturam, nihil est in eo melius quàm mens & ratio: sed non secundùm ipsam debet vivere, qui beatè vult vivere: alioquin secundùm hominem vivit, cùm secundùm Deum vivendum sit, ut possit ad Beatitudinem pervenire: propter quam consequendam non seipsâ debet esse contenta, sed Deo mens nostra subdenda est.* Secundùm hominem autem vivere prorsus idem est Augustino, quod secundùm carnem vivere, & malè vivere, sicut utrumque ex decimo quarto de Civitate liquet: ubi inistis Apostolicis phrasibus, quibus nos vetat *secundùm carnem vivere*, & inter *opera carnis* maximè quoque spiritualia, uti hæreses & animositates enumerat, *ipsum hominem vult nomine carnis intelligi.*

Epist. de Epicureis & Stoic.

Serm. 17. de verb. Apost. cap. 3.

Ibid.

Epist. 56.

Epist. 119. cap. 10.

a Serm. 11. de verb. Ap. cap. 7.

b Lib. 19. de Civit. c. 25.

Ibid. c. 4.

Lib. 14. de Civit. c. 2.

Ibid. c. 2.

Rom. 8.

Lib. 1. contra Acad. cap. 2.

Lib. 1. Retract. 1.

Lib. 14. de Civit. c. 2.

## CAPVT XIII.

### Declaratur amplius, officium virtutis ut bonum sit non posse esse finem virtutis, nonnullæ objectiunculæ solvuntur.

QVÆ quidem si rectè intellecta fuerint, desinet mirari recentiorum quidam Augustini doctrinam tanquam *incredibilem*, qua docuit, *virtutes cùm ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, inflatas ac superbas esse*: sed potiùs doctrinæ profunditatem, soliditatem, constantiamq; mirabitur. Nititur enim fundamentis Christianæ religionis immobilibus, per quorundam Christianorum Philosophiam labefactis, de ultimo boni fine, de officijs vitæ omnibus in eum retorquendis, de mansoria dilectione creatoris, ac transitoria creaturæ, de fruendo solo Deo, utendisque creaturis. Nihil hic juvat, commodissimum quæ intenditur esse naturæ convenientem, per rectam rationem regulari, actum esse honestum. Quantumcumque enim naturæ conveniat quod intenditur, & ratione reguletur, & actus honestus esse videatur, juxta sanctissimam Augustini doctrinam

Tacet supra c. 12. citatus.

ctrinam sæpissimè repetitam, *si non sit propter hoc, propter quod fieri debet vera sapientia præcipit*, hoc est, ut idem inculcat, propter verum Deum, *ipso non recto sine peccatum est*. Hæretur enim in creatura, per quam in Deum omnium officiorum finem transire debuisset. Nam & ipsis actibus humanis quantumvis honestis utendum, non fruendum est. Nec frui est aliud quàm rem *propter se diligere, illi propter se inhærere, capere ex illa voluptatem*, prout diversis locis Augustinus exponit. Quod ita per se quoq; perspicuè liquet in actionibus, per quas quibuslibet creaturis, cibo, potu, lusu, gloriâ, laude, ipsoque virtutis actu quando volumus fruimur, ut vel bruta, si loqui possent, non aliâ se re frui dicerent, nisi illâ quam propter se diligunt, cui propter se inhærent, ex quâ propter se dilectâ voluptatem capiunt.

Neque verò quicquam refert, quòd res illa vel actus ille dicatur intendi ut finis proximus, & in Deum per se tendere. Sic enim in illis casibus de quibus loquimur intenditur, ut fruendo in illo hæreatur, eo prorsus modo quo per peccata venialia, fruimur quibuscumque creaturis. Nec aliter actus quantumvis honestus per se tendit in Deum, nisi quia talis est, qui in eum referri possit operante voluntate. Sic autem & honoris, & laudis, & gloriæ, & pecuniæ, & cibi, potúsque moderatè sumendi appetitus, & uxoris concubitus in Deum retorqueri potest: Sed quamdiu hoc non fit, & in ipsis actionibus per se spectando honestis, vel in earum objectis bonis hæret animus, quantumcumque honesta esse videantur, ipsa non recti finis appositione & animi inhæsione peccatur: nec amplius manent finis tantum proximus, sed etsi non totius vitæ, illius tamẽ actionis prorsus ultimus: quo nihil amplius ex Augustini doctrina ad peccatum necessarium est, uti satis explicuimus.

Multo minùs ad infringendam vel eludendam ejus doctrinam proferri potest, quòd Stoici finem totius vitæ ultimum & beatitudinem in virtute collocaverint. Quamvis enim illud verum sit, non tamen propterea non quilibet qui virtutes propter se expetiverint, ex ejus principijs doctrinaque superantur. Non enim in eo se fundat Augustinus, quòd totius vitæ finis ultimus virtus esse diceretur, sed quod propter se expeteretur, quod ad se referretur, & non in Deum: Nam, inquit, *virtutes ad quodlibet adipiscendum vel tenendum nisi ad Deum retulerit, etiam ipsæ vitia sunt potiùs quàm virtutes*. Et rursum: *Deo enim serviunt in hominibus, à quo donantur hominibus*.

Quod verò dicuntur Philosophi beatitudinem in virtute collocasse; hoc omnes faciunt, quotquot illam propter se expetendo non in Deum intentione voluntatis referunt, sive illam, finem prorsus ultimum esse credant, sive non credant. Nam ut is qui re quacunque frui cupit, non ex ea beatitudinem aut partem ejus decerpere velit, fieri nullo pacto potest. Frui quippe velle, non est aliud quàm se beare velle, sive ex toto, sive ex parte, rebus quas propter se diligimus. Vnde Augustinus: *Res quibus fruendum est, nos beatos faciunt*, nempe, sive errore, sive veritate. Si enim veritas re quapiam fruendum doceat, revera beatum facit, si falsitas opinionis humanæ, falsa quoque beatitudo consequetur. Beatitudo namque sive vera sive falsa in rei per se dilectæ fruitione constituta est.

Vnicum alicujus momenti ex Augustino à nonnullis opponitur, quòd Augustinus, inquiunt, *sæpè doceat esse honestum propter honestatem, vel propter observantiam legis operari*. Vnde volunt, virtutum officia *propter se esse diligibilia* ex mente Augustini in libro octoginta trium quæstionum, quæstione trigesimâ. Sed quia difficultas ista in errore, quo sancti Augustini doctrina de virtutibus non intelligitur, imo pervertitur, fundata est, & sine plena explicatione justitiæ & honestatis, quæ in omni opere bono diliguntur, ac diligi debent, expediri non potest, eam alteri loco, ubi de natura virtutis & operis boni ex professo sermo erit, reservabimus. Nam ex ijs, quæ illo in loco dicenda sunt, per se difficultas ista reserata & soluta patefiet.

## CAPVT XIV.

### Finis boni, & omnis officij boni, & virtutis, est solus Deus juxta sanctum Augustinum.

ET hactenus quidem ostendimus, finem boni ad quem omnia omnino humanæ vitæ officia ex omnium Philosophorum sententia (nisi forte Scholasticos nonnullos, de quibus jam diximus, aliquis exceptos velit) referri debent, non esse corpus vel aliquid ejus, non esse etiam animum vel aliquid ejus, sive illud virtutem, sive actus animæ honestos, sive alio nomine quocunque voces. Ex quo sanè per se liquidò sequitur, illud esse debere extra & supra corpus & animum; nec aliud invenirì posse, nisi unum & verum Christianorum Deum. De quo pulchrè Augustinus: *Finis boni seu summum hominis bonum, à quolibet ubi constituatur, non invenitur, nisi aut in corpore, aut in animo, aut in Deo, aut in duobus aliquibus horum, aut certè in omnibus. Quod si didiceris, neque summum bonum, neque aliquam partem summi boni omnino esse in corpore, duo restabunt, animus & Deus; quorum vel in uno, vel in ambobus sit. Si autem adieceris & didiceris hoc idem de animo, quod de corpore, quid aliud iam nisi Deus*

*Deus ecturet, in quo summum hominis bonum constituatur sit? Non quo aliæ bona non sint, sed summum id dicitur, quò cuncta referuntur.* Qua de re non est quod cum Christianis laboriosè disputemus, qui illud uno ore libentissimè confitentur: quamvis illam summi illius boni rationem, quam ultimis verbis tangit Augustinus, & ex Aug. & omnium etiam Gentilium Philosophorum sententia supra demonstravimus esse summo bono propriissimã, ut ad illud videlicet omnia vitæ officia referantur, non omnes satis liquò intelligant. Ex quo nasci necesse est non exiguam humanæ vitæ perturbationem, dum finis ultimi neglectum, qui sicut primum efficiendi principium in actibus humanis principatum tenet, nihil interesse putant ad actus quosque vitiandos. Optandum profectò esset, ut humanæ Philosophiæ, quæ doctrinam Doctorum Christianæ religionis summoperè perturbavit, paulò minus viri boni eruditique tribuissent, ne ab illa celsissima, & sanctissima, constantissimaque Doctoris omnium subtilissimi doctrina, propter humanas & parvi momenti ratiunculas tam facilè & tam longè recederent. Nam si rationem quærimus, quid rationi magis consentaneum, quàm ut ille solus ad fruendum diligatur, qui solus animæ rationali fruendus est, quia *solus est verus rationalis creaturæ cibus?* Hoc autem ad fruendum diligitur, quod propter se diligitur, cui propter se inhæretur, motuque animi terminato conquiescitur. Si divina oracula consulimus, quid isto absolutius, generalius, atque strictius: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente?* hoc est, ut sanctissimus Augustinus explicat: *Vt omnes cogitationes tuas & omnem vitam, & omnem intellectum tu illum conferas, à quo habes ipsa quæ confers.* Quod nemo omnino præstare potest, quisquis aliquid præter unum Deum, sive se, sive proximum, sive corpus, sive animum, sive rationem, sive virtutis cujuscunque moralis actum, per se & propter se diligendum & appetendum putat. Nam quod in eodem loco præclarissimè profundissimus Doctor de sui ipsius dilectione dicit, multo rectiùs de cujuscunque alterius creaturæ dilectione, sive actus hominis, sive objectum ejus fuerit, dicendum est: *Si se propter se diligit, non se refert ad Deum, sed ad seipsum conversus non ad incommutabile aliquid convertitur. Et propterea tum cum defectu aliquo se fruitur.* Quem defectum in Epistola quinquagesima sexta superbiam vocat, ut ante diximus. Hoc igitur summo dilectionis præcepto, omnis Philosophia moritur, omnis subtilitas disputandi pro voluptatibus, pro primis naturæ, pro virtutibus, pro honestis officijs propter se appetendis evacuatur. Vt iterum divinissimus ille Doctorum coryphæus: *Cum ait: Toto corde, totâ animâ, totâ mente, nullam vitæ nostræ partem relinquit, quæ vacare debeat, & qui se locum dare ut illuc velit frui: sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus ruerit.* Nihil igitur omnino, neque voluptas, nec res ulla temporalis, nec virtus ipsa potest esse officiorum bonorum finis: seu in illum solum animus transire, & in eo solo requiescere in re qualibet appetenda debet, qui sicuti *Fons est nostræ beatitudinis, ita omnis appetitionis est finis.* Hic finis est, non autem officium, quo docet Augustinus contra Iulianum *à vitijs discernendas esse virtutes:* ita videlicet, ut *cùm facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, & facere debere vera sapientia præcipit*, id est, ut ex professo tradit, propter istum verum Deum, *peccare convincatur*; quia *etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* Sicut autem officiũ quodlibet, ipso recto fine deficiente, peccatum est; ita quoque virtus, quã quodlibet officium imperatur, ipso recto fine deficiente vitium potiùs quàm verã virtus est. *Neque enim est vera virtus, nisi quæ ad eum finem tendit, quo malum non est*, hoc est, fons omnis veræ justitiæ Deus: *cujus unius animæ intellectualis incorporeo, sed dici potest, amplexu*, hoc est, amplexu amoris, *veris impletur, fœcundaturq; virtutibus.*

*Aug. de nat. & grat. cap. 20.*

*Lib. 1. de doctrina Christiana c. 22.*

*Ibidem.*

*Lib. 1. de doctrina Christiana c. 22.*

*Lib. 10. de Civit. c. 4.*

*Lib. 1. de Civit. c. 12.*

*Lib. 10. c. 4.*

## CAPVT XV.

### Ex principijs supra traditis inferuntur septem magni momenti corollaria, quibus doctrina sancti Augustini de virtutibus, & operibus bonis, & gratia, & meritis magnoperè illustratur.

QVAMOBREM cùm omnium officiorum cujuscunque virtutis tam inseparabilis cum isto fine nexus sit, ut sine illo nullo pacto bona, sed peccata sint; & *virtutes ad quodlibet adipiscendum vel tenendum nisi ad Deum referantur, etiam ipsa vitia sint potiùs, quàm virtutes*; jam facilè vera ratio intelligitur. Primò, cur Augustinus doceat, virtutem non esse aliud nisi amorem Dei. Nimirum, quia virtus non in officij, sed in finis amore sita est, tanquam ex quo officium imperari, & ad quem intentione voluntatis retorqueri debet. Finis autem istius ultimi, Dei inquam solius, dilectionem virtutem esse, doctrina sanctissimi Doctoris solemnissima est, quam alio oportuniori loco afferturi sumus. Hic eam uno alterove testimonio perstringere præsenti instituto satis est. Sic ergo loquitur in Epistola quinquagesima secunda: *Quanquam & in hac vita virtus non est, nisi eligere quod diligendum est. Id eligere, prudentia est; nullis inde averti molestijs, fortitudo est; nullis illecebris, temperantia*

*Lib. 19. de Civit. c. 25.*

*Vide latè l. 5. de gratia Christi Salv. infra.*

*Epist. 52.*

*tia est; nullâ superbiâ, iustitia est. Quid autem eligamus quod præcipuè diligamus, nisi quo nihil melius invenimus? Hoc Deus est &c.* Et libro de moribus Ecclesiæ: *Quid erit optimum hominis, nisi cui inhærere est beatissimum? Id autem est solus Deus, cui hærere certè non valemus, nisi dilectione, amore, charitate. Quòd si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omninò esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei. Namque illud, quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, ducitur.* Quod mox demonstrat præclarissimè, & in alijs locis uberiùs & à fundamentis docet. Quòd si virtus nihil est aliud, nisi amor Dei, & ejus quadripartita divisio nihil nisi quadruplex quidam divini amoris affectus, jam à radicibus patet, sine isto amore Dei, tanquam omnis officij & appetitionis termini, nullam omninò esse, vel esse posse virtutem.

*Est de moribus Ecclesiæ, c. 4. & 5.*

*Est. 2. de lib. arb. & alibi sæpiùs.*

Secundò, hæc consequenter vera genuinaque ratio est, cur ad omnem virtutem, sicut & ad opus bonum fides ex Augustini doctrina necessaria sit. Fides enim istum amorem veluti finis necessarij intentionem ostendere, dirigere, firmare debet; fides pro impetrando amore auxilium impetrare. Non enim tantummodo sciendum est, quale sit istud bonum, quod præ omnibus in virtutis officijs diligendum est, ne alioquin idolum humanæ cogitationis pro vero Deo diligatur, sed etiam quo pacto, quo scopo, quo auxilio diligendum sit; ne vel viribus suis fidendo fastum animi sui pro Deo diligat, vel amorem gratuitum adulterando, dum in Deum se surgere putat, cadat. Vnde Philosophorum omnium opiniones de officiorum & bonorum fine radicitus exstirpaturus optimè Augustinus dicit: *Si ergo quæratur à nobis, quid Civitas Dei de hujusmodi singulis interrogata respondeat, ac primùm de finibus bonorum malorumq; quid sentiat, respondebit, vitam æternam* (quæ non est aliud nisi Deus) *esse summum bonum; æternam verò mortem summum malum. Proinde ad illam adipiscendam, istamq; vitandam, rectè nobis esse vivendum. Propter quod scriptum est: Iustus ex fide vivit: quoniam nec quod bonum nostrum iam videmus, unde oportet ut credendo quæramus; neque ipsum rectè vivere nobis ex nobis est, nisi credentes adiuvet, & orantes, qui & ipsam fidem dedit, quâ nos ab illo adiuvandos esse credamus.* Et libro quarto contra Iulianum: *Hoc summum bonum præstari hominibus non potest, nisi per Christum, & hunc crucifixum, cuius morte mors vincitur, cuius vulneribus natura nostra sanatur. Ideoque iustus ex fide Christi vivit. Ex hac enim fide prudenter, fortiter, temperanter, & iustè, ac per hoc his omnibus veris virtutibus rectè sapienterq; vivit, quia fideliter vivit.* Vnde infra, ut sint opera bona, dicit opus esse ut fiant *intentione fidei bonæ, hoc est, eius quæ per dilectionem operatur.* Nam juxta ejus doctrinam, *bonum opus intentio facit, intentionem fides dirigit.* Vnde alibi: *malè vivitur, si de Deo non benè creditur.* Et in Psalmum 67. *Ea sola bona opera dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei. Hæc autem necesse est ut antecedat fides, ut inde ista, non ab istis incipiat illa: quoniam nullus operatur per dilectionem Dei, nisi prius credat in Deum.* Quod ibidem latiùs tradit.

*Lib. 19. de Civit. c. 4.*

*In Psal. 31.*

*Lib. 5. de Civit. cap. 10.*

*In Psal. 67.*

Tertiò, hæc ulterius genuina verissimaque ratio est, cur constanter doceat, nullam virtutem esse posse sine vera religione, & cultu, & pietate in Deum. *Veræ virtutes nisi in eis quibus vera inest pietas, esse non possunt.* Et mox: *Paulus de his qui secundum veram pietatem viverent, & ideo virtutes quas haberent veras haberent, aut &c.* Et libro quinto ejusdem operis: *Dum illud constet inter omnes veraciter pios, neminem sine vera pietate, id est, veri Dei, vero cultu, veram posse habere virtutem: nec veram esse posse, quando gloriæ servit humanæ.* Et alibi simili omnino sensu dicit, non esse virtutes veras nisi ad fidem referantur, quæ pietatis omnis basis est: *Nunc librum istum ita claudamus, ut admoneamus, quòd iustus ex fide vivit: quæ fides per dilectionem Dei, qui scilicet omnis virtutis fons & finis est, operatur, ita ut virtutes quoque ipsæ, quibus prudenter, fortiter, temperanter, iustèq; vivitur, omnes ad eandem referantur fidem. Non enim aliter poterunt veræ esse virtutes.* Quod statim initio sequentis libri velut rectè à se traditum repetit. Quæ omnia non alia ex causa docet Augustinus, quam quia pietas, qua una colitur Deus, non est aliud Augustino nisi ipsissimus ille amor Dei, qui ipsa virtus est, fideque velut rectrice nititur. *Quid est pietas, nisi Dei cultus? Et unde ille colitur, nisi charitate? Charitas igitur de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, magna & vera virtus est, quia ipsa est & finis præcepti.* Et in alia Epistola: *Porro pietas cultus Dei est, nec colitur nisi amando: ac per hoc sapientia est charitas Dei.* Et simul uno complexu, cultum, religionem, pietatem, servitutemque totam in unam *Dei dilectionem* redigens, *Hic est*, inquit, *Dei cultus, hæc vera religio, vera hæc pietas, hæc tantùm Deo debita servitus.*

*Vide infra l. 4. de gratia Christi &c. c. 11.*

*Lib. 19. de Civit. c. 4.*

*Epist. 120.*

*Lib. 10. de Civit. c. 1.*

Quartò, hinc vera quoque patescit ratio, cur tantoperè reprehendat illam divisionem virtutum & affectuum, per quos dicebat Iulianus, nos esse aut *fructuosè aut sterilitèr bonos*, hoc est, ut iam Scholastici nonnulli docent, & ut ipse Iulianus explicabat, qui ad vitam æternam consequendam prodessent, aut non prodessent. Cùm enim nulla virtus aut sit aut esse possit, quæ non faciat opus bonum ex fide atque dilectione veri Dei, ad quem omne opus virtutis referri debet, & si non referatur, *ipsa non recto fine peccatum est.* impossibile est virtutè ullam esse sterilem. Fides enim & amor Dei sterilis æternæ vitæ esse nullo modo potest: Sed si sterilis est, non jam virtus, sed vitium dici debet. Et si opus est sterile, non bonum, sed malũ erit. *Fieri enim non potest*, inquit, *ut sterilitèr boni simus: sed boni non sumus quod sterilitèr sumus. Arbor enim bona bonos fructus facit. Nullo modo igitur homines sunt sterilitèr boni: sed qui boni non sunt, possunt esse alij minùs alij magis mali.* Et de operibus arborum hujusmodi sterilium: *Quomodo, obsecro, non aut iocaris in his disputationibus, aut deliras, qui sterilium fructus arborum laudas. Qui utique aut nulli sunt, aut si mali sunt,*

*Lib. 4.*

*Ibid.*

*Lib. 5. c. 3.*

*Ibid.*

*sunt, laudandi non sunt: aut si fructus boni sunt, profectò steriles arbores non sunt: imò & bonæ sunt, quarum fructus & boni sunt, & debent Deo placere &c.*

Quintò, hinc vera liquet ratio, cur Augustinus semper doceat, opus bonum, hoc ipso quo bonum est, quantumcumque exiguum, ex gratia Christi necessariò debere fieri: hoc ipso quoque esse meritorium apud Deum. Loca sunt innumera: sed quia alterius disputationis erit, hic pro bonis operibus unus locus sufficit: *Nulla bona facit homo, quæ non facit Deus ut faciat homo. Proinde cupiditas boni non hominis à Domino esset, si bonum non esset: si autem bonum est, non nisi ab illo nobis est, qui summè atque incommutabiliter bonus est.* Pro merito verò cujuscumque operis boni, imò etiam pro gratiâ ad omne opus bonum necessariâ, est Canon Arausicanus ex ejus lucubrationibus adversus Iulianum sumptus: *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia quæ non debetur, præcedit ut fiant.* Causa manifesta est ex ijs quæ deducta sunt. Cùm enim fides ac dilectio Dei juxta Augustini doctrinam constantissimam & juxta Catholicam fidem haberi non possit sine gratia Dei, opus etiam bonum quod sine illis esse non potest, ex gratia Dei necessariò fluere debet, & vi merendi carere non potest.

*Vid. infra lib. 5. de grat. Christi Salvatoris. Lib. 2. ad Bonif. c. 9.*

*Canon 18.*

Sextò, hinc patet genuinus illorum verborum sensus, quibus utitur contra Iulianum: *Certè quoniam saltem concedis, opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bonæ, non tamen eos ad salutem sempiternam regnumque perducere: scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum sine Dei gratia, quæ datur per unum mediatorem Dei & hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum regnumque perduci.* Non enim his verbis duplex opus bonum, duplicemque voluntatem bonam statuit, unam æternæ vitæ meritoriam, alteram non, & ad illud dumtaxat, non ad hoc gratiam Dei esse necessariam. Sic enim totam illam prolixamq; disputationem contra Iuliani sententiam retractaret, & everteret, quia omnibus principijs suis contradiceret: sed Iulianum isto modo ex propria confessione convincit. Cùm enim fateretur, opera quæ dicebat bona infidelium non eos posse ad salutem sempiternam regnumque perducere, finita erat istius confessione veritatis tota disputatio: eo quòd Augustinus nullum omninò agnosceret bonum hominum, nullum opus bonum, nullam voluntatem bonam, nisi ex *intentione fidei bonæ, hoc est, eius quæ per dilectionem operatur*, ut verbis immediatè præcedentibus dixerat, totaque disputatione contentis viribus asseruerat. Quidquid reliquum Iulianus vocaret opus bonum, Augustino non solùm non erat bonum, sed prorsus malum, peccatum, injustitia, reatus, (quibus epithetis in illa concertatione utitur) ignibus puniendus. Quod Augustinus ipse statim in istum eundem prorsus modum explicat, dum dicit, quòd illa Iuliani opera

*Lib. 4. c. 3. in fin.*

A non facit voluntas bona, sed infidelis & impia; quòd ea facit amor mundi, amor fruendi creaturis, qui non est à Deo; quòd creaturis mundi nemo potest bonè uti sine amore creatoris, & quòd hic non potest esse nisi à Patre per IESVM Christum. Quæ sunt ipsissima principia, ex quibus juxta doctrinam ejus demonstravimus, nullam esse posse virtutem veram, nullum opus bonum, nullum veræ virtutis officium sine peccato factum, nisi in Deum *fidei bonæ intentione* referatur.

Denique hinc vera quoque patet ratio, cur Augustinus de operibus bonis disputans subinde adijciat illas limitationes, *opus sicut oportet, opus fidei, veræ pietatis, religionis, conducens ad vitam æternam, ad salutem, opus meritorium, virtutis veræ, virtutis piæ*, & similia. Hujusmodi enim phrases non limitationes operum verè bonorum seu non malorum sunt, sed explicationes. Distinguuntur enim non ab alijs operibus vel virtutibus verè bonis, cujusmodi nulla esse constantissimè tradit, sed ab illis virtutibus & operibus, quæ videntur esse, & non sunt bona, à virtutibus, inquam, & operibus quorumcumque infidelium, quæ Iulianus & Magister ejus Pelagius velut veras virtutes, velut opera recta, & sine peccato facta laudabat, cùm juxta doctrinam Augustini omnia fierent *ex virtute civili, non vera; ex Babylonica dilectione; ex amore huius mundi*, qui non est à Deo. Vt igitur nulla lectoribus relinqueretur ambiguitas, de qualibus virtutibus & operibus bonis loqueretur, illa tribuit eis epitheta, quæ solis & omnibus veris virtutibus, & verè bonis operibus congruunt, & per quæ ab omnibus præstigijs Pelagianis liberantur. Sicut enim fatebantur, virtutes & opera religionis, pietatis fidei, meritoria æternæ vitæ, & hujusmodi ab infidelibus nullo pacto posse haberi aut fieri; ita opera eorum bona esse pietatis æternæque vitæ sterilia: Augustinus contrà, sicut constabat ea non esse pietatis, religionis, æternæque vitæ meritoria, sed sterilia; ita non esse virtutes veras, nec opera verè sed specie tantùm tenus bona, ex mundi cupiditate potiundi vel amittendi timore promanantia, & propterea ipso non recto fine esse peccata. *Pia* enim *virtus*, inquit, *est utilis virtus*, ad vitam scilicet, *imò ipsa est vera & sola virtus dicenda, quæ non militat typho, sed Deo.*

*Vide lib. 5. de gratia Christi Salvatoris infrà*

*Lib. 4. c. 3.*

*Serm. natal. Capt. & Æmilij in app.*

Ista igitur septem corollaria hîc breviter indicata volui, quæ alibi latiùs pleraque tractanda sunt, ut facies magnæ partis doctrinæ sancti Augustini uno intuitu lectorum oculis subijceretur, & intelligerent, ex quibus principijs ista dogmata, quæ passim in scriptis ejus obvia sunt, religata penderent. Quorum ignoratione factum est, ut Scholasticis altercantibus mirum in modum, & plus quàm dici aut credi potest, Augustini doctrina de gratia & bonis operibus, & meritis obscurata & perturbata sit, dum certatim pro suo quisque genio, & libertate, & opinione figmenta nova comminiscitur, ut ejus doctrinam ad

suam

suam aptet sententiam & scopum, quorum nullum in Augustino vestigium reperiri potest. Nimirum, ne Philosophia Peripateticorum atque Stoicorum de virtutibus atque operibus bonis pessum iret, imprudenter à viris doctis & bonis manus Augustino injectæ sunt: ut venerabilis canities doctrinæ ipsius, quæ post septingentos aut octingentos annos per mortem ejus pura atque inviolata per manus & scripta discipulorum tradebatur, novis interpretationibus in Ecclesia Christiana ad illud usque tempus inauditis depravata loco cederet. Nimia quippe Gentilium Philosophia sicut hæreses in impijs hominibus peperit, ita opiniones Ecclesiasticæ doctrinę sępè periculosas in viris bonis; dum nesciunt pretiosum à vili separare, nec animadvertunt, in quo Gentilium vanitas alienata à vita Dei & cognitione veri finis boni, ex damnationis antiquæ pœnâ defecerit, & à Christiana luce superetur.

## CAPVT XVI.

### Semina virtutum utrum insint naturaliter?

QVID jam de seminibus virtutum ex Augustini principiis dicendum sit contra Cassianum, ceterosque Semi-Pelagiani erroris asseclas, non est difficile intelligere. Cùm enim duo possint juxta doctrinam suprà traditam in virtute spectari, officium quod fit, & finis propter quem fit, si officium nudè consideretur, nullum inconveniens est, virtutum quarundam semina eatenus inesse naturaliter, quatenus homo multa in agendis rebus recta officia & sentire & suscipere potest. Nam ex ista radice plurima vitæ bonæ præcepta à Gentilibus Philosophis agnita, tradita & observata sunt. Hinc ille præclaræ & utiles Aristotelis, Tullij, Senecæ, aliorumque plurimorum de virtutibus seu virtutum officijs disputationes atque lucubrationes. Hinc illa quorundam præcipuè Romanorum opera quasi bona, qui laudabiliter officio tenus præclarissimè vixerunt. Hujusmodi virtutum semina non diffitetur in infidelibus Augustinus, sed libenter agnoscit. Nam inde sunt illa testimonia, quæ superiùs alterius causâ difficultatis adducta sunt: *Quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter iusteq; colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundùm iustitiæ regulam non solùm vituperare non possumus, verùm etiam meritò rectèque laudamus.* Et mox iterum: *Non usque adeò in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, ut meritò dici possit, etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere.* Cujusmodi plura ibidem tradit. Nam tale virtutum operumque bonorum semen non est aliud quàm ipsa natura rationalis, quatenus est imago Dei, in qua naturæ lex, non omninò deleta est, ut proximè citatis verbis indicat: seu quatenus Syndereſi bonorum malorumque perceptrice & judicatrice prædita est. Vnde in eodem loco: *Non omnimodo deletum est, quod ibi per imaginem Dei, cùm crearetur, impressum est.* Et paulò inferiùs: *Quam imaginem non penitus impietas aboleverat. Nam remanserat utique, quòd anima hominis nisi rationalis esse non potest.* Et rursum: *Nam & ipsi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, quâ legitimum aliquid anima rationalis & sentit & facit.* In quibus testimonijs facta illa *laudabilia*, & *aliqua legis*, seu *legitima* quæ homo naturaliter sapit, non sunt aliud nisi illa moralium virtutum officia, de quibus Philosophi tam multa præclaraque disputarunt & præceperunt; quorum etiam Romani tali quali observatione claruerunt. Nec Augustinus tantùm, sed & alij nonnulli sancti Patres naturalia virtutum semina in humana natura posuerunt. S. Ioannes Damascenus *naturales virtutes* vocat, & *naturaliter & æquè omnibus inesse.* Sanctus Basilius *omnium mandatorum, quæ a Deo accepimus, virtutes in nobis ipsis insitas non gerere* tradit. Hieronymus, neminem non habere *semina in se sapientiæ, & iustitiæ, reliquarumque virtutum.* Sed, ut dixi, omnes isti officia illa bona respexerunt, parentes honorandos, indigis opitulandum, temperanter vivendum, & similia, cujusmodi facienda esse docet, *lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas.* Quæ quidem officia, nisi propter illum finem fiant, propter quem facienda esse vera sapientia præcipit, quamvis operibus quæ fiunt bona videantur, ipso non recto fine peccata sunt. Officium enim quasi corpus virtutis est, quod fine veluti formâ animari debet: quo deficiente manet officium quasi materia sine forma sua, quasi cadaver animâ destitutum. Quapropter si finem consideremus, qui in virtute suis momentis ponderandâ præcipuus est, nullum semen cujuscunque virtutis in humana natura reliquum reperiri potest. Finis enim ille non est aliud, ut fusè declaravimus, nisi Deus intentione fidei bonæ diligendus. Illius autem & credendi & diligendi omnis omninò scintilla per peccatum, omnis fomes extinctus est: juxta illud absolutissimum Augustini: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Non enim tantùm ad perfectionem virtutis ita consideratæ comparandam infirmata natura est, sed etiam ad qualemcunq; & quantamcunq; exiguam ejus inchoationem. Eadem enim omninò ratio est, in isto sensu, virtutis, & seminis ejus: hoc est, perfectionis & quantulæcunque inchoationis ejus. Amor enim illius finis, cujus uniusin corporeo amplexu

De Spirit & litt. c. 17.

Cap. 28.

Ibid.

Ibid.

amplexu anima virtutibus fœcundatur, non solùm perfici, sed nec inchoari ab homine humanis viribus potest. Nam etiam prima boni cupiditas, qua nullum exilius virtutum semen in voluntate dari potest, est nobis à Deo. *Quid est enim boni cupiditas, nisi charitas?* inquit Augustinus: *de qua Ioannes Apostolus sine ambiguitate loquitur dicens: Charitas ex Deo est.* An fortè fructus ejus & perfectio ex Deo, & semen seu initium ejus ex nobis? Respondet Augustinus: *Nec initium eius ex nobis, & perfectio eius ex Deo: sed si charitas ex Deo, tota nobis ex Deo est.* Ex cujus semine ac radice nisi virtutis cujuslibet fructus germinaverit, non poterit esse fructus bonus. *Non enim fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit.* Vnde cùm Iulianus virtutem à nobis inchoari, & perfectionem ejus à Deo tribui statuisset, quasi semina virtutum in anima rationali condita delitescerent, quæ gratiæ divinæ cultu in fructum perfectum surgerent, respondet ei Augustinus: *Cùm ergò divinitus adiuvatur homo, non tantùm ad capessendam perfectionem adiuvatur, quod ipse posuisti, utique volens intelligi, eum per se incipere sine gratia, quod perficit gratia: sed potiùs quod Apostolus loquitur, ut qui in vobis opus bonum cœpit, perficiat usque ad finem. In quo enim vis hominem, sicut loqueris, ad aliquid laudabile generosi cordis stimulis incitari, in hoc eum non vis in Domino, sed in libero arbitrio gloriari.*

Lib. 2. ad Bonif. c. 9.

Lib. de Spir. & litt. c. 14.

Lib. 4. cont. Iul. c. 3.

Hanc sancti Augustini doctrinam S. Prosper discipulus ejus pleniùs tradidit, qui de virtutum seminibus nominatim cum Semi-Pelagianis dimicare coactus fuit. Cùm enim Cassianus in Collatione decima tertia dubitari non posse dixisset, inesse omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio creatoris inserta, quæ nisi opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis pervenire non possent, multis & solidis argumentis errorem istum, ab ejus quam tradidimus Augustinianæ doctrinę tramite non recedendo, confixit. Docet enim in primis omnia virtutum semina seu principia primæ prævaricationis meritò periisse. *Virtutum semina quæ beneficio creatoru inserta sunt, prævaricatione primi parentis eversa sunt, nec haberi queunt, nisi eo restituente qui dederat. Reformabilis enim est natura humana formatori suo, & eorum bonorum quæ habuit capax est.* Et libro tertio de vita contemplativa: *Sine dono Dei nec virtutes possunt appeti vel haberi, nec earum similitudines, quæ sunt vitia virtutes imitantia, devitari.* Nullum autem virtutum semen exilius est, quàm virtutis appetitus. Docet errorem istum inde fluxisse, quòd cernerent homines, multa præclara bonorum operum officia in infidelibus quæ speciem virtutis habere viderentur: *Puto autem istum veri similitudine decipi, & in specie falsarum errare virtutum, dum ea bona, quæ non possunt nisi ex Dei munere haberi, etiam in impiorum animis existimat reperiri, ideo scilicet, quia multi eorum sunt iustitiæ, temperantiæ, continentiæ, & benevolentiæ sectatores.* Docet hujusmodi virtutum semina & opera inde profluentia virtutum carere veritate, esseque vitiosa: *Sed quia ijs studijs non Deo, sed diabolo serviunt, licet habeant de temporali laude mercedem, ad illam tamen beatarum virtutum non pertinent veritatem. Et ita manifestissimè patet, in impiorum animis nullam habitare virtutem, sed omnia opera eorum immunda esse atque polluta, habentium sapientiam non spiritalem sed animalem; non cælestem, sed terrenam; non Christianam, sed diabolicam,* & hujusmodi, quæ latiùs antè diximus. Docet, non alia ex causa ista præclara officia à virtutum veritate deficere, nisi quia mens infidelium ab illius finis amore, à quo omnis virtus veritatē & essentiam suam trahit, frigescendo deflexit: *Absit ab animis piorum fallacis doctrinæ insidiosa deceptio. Virtutes cum vitijs habitare non possunt. Quæ enim participatio, inquit Apostolus, iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras? Virtus namque principaliter Deus est; cui non aliud est habere virtutem, quàm esse virtutem. Huius cum participes sumus, habitat Christus in nobis, qui est Dei virtus, & sapientia. Habitat fides, spes, charitas.* Dei enim participes non aliter efficimur nisi dilectione. *Cùm verò ab hoc bono recedimus, omnia nobis è contrario oriuntur ex nobis. Discedente enim pulchritudine, quid succedat nisi deformitas? Abeunte sapientiâ, quid resideat nisi insipientia? Non regnante iustitia, quid dominetur nisi iniquitas?* Et inferiùs rursum omnia revocans ad charitatem, qua sola omnium fons & finis officiorum bonorum diligitur: *Et tanta est secundùm istum liberi arbitrij vel incolumitas vel facultas, ut charitatem, quæ in omnium arce virtutum est, non ex Dei munere, sed ex sola habeat voluntate.* Eò quippe redit, quòd virtutum semina dicuntur inserta naturaliter, ut illius charitatis initium, sine quo nulla virtus vera esse vel intelligenter cogitari potest, ex nobis proficisci censeatur. Quo respiciens, statim subijcit: *Et ne possimus opitari, ideò dilectionem dictam ex Deo, quia in natura hominis hic satus esset affectus, paullò post ait: Non quod nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos.*

Prosp. lib. 1. Collat. cap. 27.

Lib. 3. de vita contem. c. 1.

Cont. Coll. c. 28.

Ibid.

Ibid. c. 27.

Cap. 30.

Porrò quemadmodum jam antè de virtutibus veris infidelium, alijsque nonnullis dogmatibus diversis locis admonuimus, ita etiam de isto dogmate, quo virtutum verarum semina dicuntur inserta homini naturaliter, admonemus, à Gentili manasse Philosophia. Philosophi namque, cùm in omnium hominū (quos non penitus in vitiorum abyssum perversa vivendi consuetudo mersisset) naturâ vigere cernerent judiciū quoddam de multorum actuum honestate, deque fœditate remorsum conscientiæ, quosdam etiam ad quædam virtutum civilium officia esse propensos, neque quicquam aliud ad virtutem veram opus esse arbitrantes, quàm ut ista, quibus nihil altius ad rectitudinem humanis affectibus inserendam intelligebant, per se & propter se-ipsa expeterentur; semina virtutum omnium humanæ menti tribuerunt; quæ solo cultu, & exercitatione in maturam virtutem crescerent, & nitescerent. Audi Tullium Peripateticæ Stoicæque

que virtutis tanquam purioris elementa ipsi naturæ tribuentem: *Natura igitur corpus quidem hominum sic & genuit & formavit, ut alia in primo ortu perficeret, alia progrediente ætate fingeret &c. Quod autem in homine præstantissimum atque optimum est, id deseruit: etsi dedit talem mentem, quæ omnem virtutem iam accipere posset, ingenuitque sine doctrina notitias parvas rerum maximarum; & quasi instituit docere, & induxit in ea quæ inerant tanquam elementa virtutis. Sed virtutem ipsam inchoavit, nihil amplius. Itaque nostrum est (quod nostrum dico artis est) ad ea principia quæ accepimus consequentia exquirere, quo-ad sit id quod volumus effectum.* Satis aptè profectò Philosophiæ instituto, quæ nihil ad perfectam virtutem amplius exquirebat, nisi ut propter se officia amicitiæ, justitiæ, fortitudinis appererentur. Cujusmodi consideratione & Augustinus aliquando dixit: *Voluit Deus inseminare omni animæ initia intellectus, initia sapientiæ.* Et vim animæ tribuit, quâ *legitimum aliquid & sentit & facit.* Sed istiusmodi non tam virtutum semina, quàm ruinæ sunt, ex illa primæva hominis integritate superstites. Quibus primùm Pelagiani atque Semi-Pelagiani hæresim suam imposuerunt: easque postea Scholastici Doctores, non satis attenti quid in isto Gentilium, verumque virtutis finem ignorantium placito Christiana doctrina per Augustini & Prosperi calamum explicata reprobasset, in Christianorum etiam scholas induxerunt, non minimo Ecclesiasticæ doctrinæ, prout eam Augustinus in omnibus suis lucubrationibus constanter docuit præjudicio. Nam illi hæretici seminibus istis Philosophicis veras virtutes, vera opera bona, solâ voluntatis humanæ potestate proficisci posse, ideoque arbitrium hominis sine ulla Christi gratia esse potens ad benè operandum, & liberum tradiderunt. Quod quia constantissimæ doctrinæ Catholicæ apertissimè Scholastici repugnare cernebant, duplicem hominem in uno homine condiderunt, duplicem fidem, duplicem charitatem, duplices virtutes, duplicia opera, una naturalia, altera supernaturalia, de quibus in universa doctrina Augustini vel ullo antiquo gratiæ defensore, ullove Ecclesiæ concilio vestigium nullum inveniri potest. Sed sicut uno absurdo dato, cetera accidunt, ita semel admissâ in veris virtutibus definiendis, humanæ Philosophiæ auctoritate, totam doctrinam Augustini de virtutibus diametraliter ei repugnantem coacti sunt perturbare & intolerandis modis ab ejus mente detorquere, ne gravissimâ ipsius in hisce quæstionibus auctoritate premerentur. Quasi verò Augustinus non illas ipsas virtutes, quas Philosophi & Scholastici naturales dicunt, vitia propriè dicta nuncuparet; non illa ipsa opera, quæ ipsi bona vocitant, Augustinus mala, peccata, ignibus punienda diceret; & consequenter non illam ipsam, quam ipsi ad benè agendum naturaliter libertatem appellant, Augustinus captivitatem sub terrena cupiditate tanquam diaboli frutice definiret.

*Lib. 5. de fin.*

*Serm. 38. de verb. Dom. c. 8.*

## CAPVT XVII.

### Nugæ, delirium, insania, error impietas contraria Christianorum sensui, scripturis, & fidei, quòd infidelium sit ulla vera virtus, vel opera sine peccato juxta Augustinum, & Concilium Arausicanum.

SED quia non satis est Augustini doctrinam in medium protulisse, nisi etiam constet, quanta certitudine veritatis eam asseruerit, operæ pretium fuerit ea de re pauca dicere; ne alioquin Augustinus eam velut subtilitatis humanæ cogitationem, & propterea pro more scholæ, sine Christianæ doctrinæ præjudicio, utrimque disputabilem tradidisse videatur. Quapropter opera infidelium non tantùm non esse bona, & ad vitam æternam inutilia, sicut Pelagiani fatebantur, sed mala atque peccata; & consequenter eorum virtutes non fuisse veras, sed vitia nomine & specie virtutum palliata, tantâ docuit Augustinus asseverantiâ atque securitate, ut majore non posset Catholicam fidem. Asserit enim, adversarium istius doctrinæ suæ aut jocari in his disputationibus, *aut delirare, qui sterilium fructus arborum laudet, qui aut nulli sunt, aut si mali sunt, laudandi non sunt: aut si fructus boni sunt, arbores bonæ sunt, & debent Deo placere.* Asserit, *enim fallitur quàm dici potest* in illa opinione *qua* dixerat, *omnes virtutes affectus esse, per quos aut fructuosè aut steriliter*, id est, ad vitam æternam inutiliter *boni simus. Fieri enim*, inquit, *non potest, ut steriliter boni sumus, sed qui boni non sunt, possunt esse alij minùs, alij magis mali.* Dicit multa insana ex contraria opinione consequi, quæ statuit aliquid *steriliter*, hoc est, ad vitam æternam inutiliter esse bonum: *Piget iam dicere, quàm multa te sequantur insana talia sentientem, talia dicentem, talia scribentem, in talibus me, quòd similiter non desipiam, velut censoriè reprehendentem.* Et rursum nonnihil superiùs non paulò acerbiùs: *Prorsus nec vera est castitas animi fornicantis*, id est, animi qui recessit à Deo, *& vera insania est hominis dicentis hoc decetus, & ridentis.* Dicit, hoc non solùm veram insaniam esse, sed etiam scripturæ repugnare: *Itane aut contra Scripturas sanctas infidelis animus fornicari negas, aut esse in animo fornicante veram castitatem dicis, & rides, & sanus es? Vnde, quomodo, quâ ratione istud fieri potest? Prorsus nec illa est castitas vera, nec sanitas vestra.* Dicit, errorem esse,

*Lib. 4. cont. Iul. c. 3.*

*Ibid.*

*Ibid.*

esse, & in ista sententia asserenda Iulianum non de nomine disceptare, sed errare quantùm errari potest: *Breviter accipe, ne fortè cùm in rebus ipsis tantùm erres, quantùm errari plurimùm potest, videar rectum certare de verbis.* Dicit, adversam sententiam esse impiam: *De tali opere*, quod est nudum operire sine fide, *non in Domino gloriari*, hoc est, illud non referre per fidem ad Deum, sicut hoc sæpissimè explicuerat; *solus impius negat esse peccatum.* Dicit, neminem dubitare Christianum, quin mala voluntate fiant opera quæcunque infidelium, & ideo sint peccata: *Ex quo colligitur, ipsorum esse peccata, quibus & bona malè faciunt; quia ea non fideli sed infideli, hoc est, stultâ & noxiâ faciunt voluntate. Qualis voluntas, nullo Christiano dubitante arbor est mala, quæ facere non potest nisi fructus malos, id est, sola peccata.* Denique apertè dicit suam Catholicæ fidei doctrinam esse, & ex Catholicæ fidei principijs se revincere adversarium. Cùm enim Iulianus Augustini doctrinam, qua dixerat, in conjugibus infidelibus non esse veram castitatem, vel opera verè bona, calumniando traduceret, quòd cum Manichæo traderet, facinora cum fide perpetrata culpam evadere, respondet ei Augustinus: *Sed quid ad nos, sive dicant hoc Manichæi, sive etiam ipsis calumnieris: cùm hoc Catholica fides non dicat, quam tenemus,* ET CUIUS TE PONDERE URGEMUS. *Nos enim ea quæ videntur opera bona dicimus non esse vera bona sine fide: quoniam opera verè bona necesse est Deo placere, cui sine fide quia impossibile est placere, profectò quod verè opus est bonum, sine fide non potest esse.*

Ibidem. Ibidem. Ibidem. Lib. 4. contra Iul. c. 8.

Quapropter Concilij Arausicani Patres, cùm scirent sanctum Augustinum doctrinam istam de virtutibus atque operibus infidelium tantâ certitudine constantiâq; tradidisse, eam pluribus canonibus sanxerunt. Hinc nono canone dicunt: *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur.* Hinc vigesimo: *Nulla facit homo bona, quæ non Deus præstet ut faciat homo.* Hinc decimo octavo: *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia quæ non debetur præcedit, ut fiant.* Canones enim isti ex Augustini non tantùm doctrina, sed etiam ad apices usque ex verbis ejus expressi sunt: qui nullam omninò agnoscit boni operis gratiam, aut bonæ voluntatis, sine qua nullum omninò bonum opus esse potest, ante susceptam fidem. Nam in *initio fidei est* etiam *initium bonæ voluntatis*, & consequenter boni operis.

Canon 9. Canon 20. Canon 18. Epist. 107.

Cardinem autem, cui tota istius doctrinæ moles nititur, ex lucubrationibus imperfecti operis contra Iulianum in hac re capitalem adversarium ejus desumentes, similiter infallibili suâ autoritate munierunt, dum ipsius Augustini verbis, jam verò suis pronunciarunt: *Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Hæc enim verba sanctus Augustinus adversùs Iulianum intonuit, dum virtutes Gentilium, quas more suo steriles esse, id est, inutiles æternæ vitæ sentiebat, prædicando diceret, *Fortitudinis lacertos in contemptu dolorum per Gentiles Christianosq; assiduè claruisse.* Quod si fortitudo Gentilium ex mundi cupiditate nata fuit, ut fides isto canone expressa docet, profectò & temperantia, & justitia, & prudentia, quæ regendis illis præsidebat. Eâdem quippe cupiditate bona diliguntur, quâ mala bonis adversantia fortiter tolerantur, eoque fortiùs, quo animus ardentiore mundi cupiditate succenditur. Quid verò sit mundi cupiditas nemo nescit, nisi qui Catholicam fidem nescit, quæ docet eam *non esse à Patre*, ut eam à diabolo profectam esse nemo dubitaret. Quo fit, ut illam cupiditatem, ex qua Romanorum virtutes natæ sunt, *Babylonicam* vocet Augustinus, *terrenæ patriæ dilectionem*, cui consulere ex virtute videbantur: eam, ex qua quorundam continentia pullulabat, *vanam cupiditatem, & per hoc pravam, quæ frenaret alias pravas cupiditates*: eam, ex qua virtus Stoicorum, *inflationem atque superbiam*, itemque *cupiditatem laudis & gloriæ*, qua non quidem alijs, *sed sibi ipsis placuerunt*, & evanuerunt in cogitationibus suis. Quæ quidem etiam atque etiam ab ijs considerari & suis momentis expendi velim, qui vel Augustinum, vel me in ejus indagandis sensibus falli putant, ne fortè ipsi nimiâ Philosophiæ Gentium consectatione fallantur. Nam sententiam illam Iuliani, quam tantâ severitate Augustinus & Synodus Arausicana proscripsit, non aliud esse quam ipsissimam Philosophorum sententiam, quâ veras virtutes hominibus Deum verum ignorantibus tribuunt, quibus ipsam honestatem operum bonorum sectarentur, quamvis ad æternam vitam inutiles essent, nimis perspicuum est ex ijs quæ deduximus. Videant igitur Philosophiæ admiratores, ne in hac eorum doctrina asserenda etiam ipsi periclitentur. Vinculum, quo natura rationalis obstringitur Deo, ut illum solum diligat, neque quicquam nisi propter illum, à quo habet ut sit, incomparabiliter strictius est, quàm Gentilis Philosophia suspicari potuit. Vulnus quo cecidimus à Philosophis ignoratum fuit: longèque altius inflictum, quam nonnulli Theologi Christiani putant. Argumenta eorum pro virtutibus & operibus bonis infidelium Philosophica sunt, humana sunt, ratiunculis subnixa levioribus, quàm ut eis Augustini, Prosperi, & antiquorum omnium gratiæ defensorum auctoritas cedat. Quorum hac in re tantus consensus est, ut S. Episcopus Rossensis gloriosusque Martyr dicat, esse sententiam omnium Patrum, etsi Scholastici dissentiant. Et hactenus de virtutibus & operibus bonis infidelium. Nunc tempus est, ut quo pacto hæc omnia scopo nostro congruant ostendamus.

Can. Arauf. 17. desumptum ex lib. 1. oper. imperf. contra Iul.

Lib. 1. oper. imperf.

1. Ioannis.

Lib. 4. contra Iul. cap. 3.

Ibidem.

Lib. 10. de Civit. c. 15.

Lib. 5. c. 13. & 20.

Art. 36.

## CAPVT XVIII.

### Declaratur ex ante dictis à capite decimo quinto huc usque quo sensu doctrina sancti Augustini de amissa boni faciendi & mali cavendi libertate, inductaque peccandi necessitate intelligi debeat.

QVOD ut liquidiùs constet, meminisse lectorem velim, nos in superioribus per multa capita doctrinam sancti Augustini velut certam indubitatamque protulisse, qua docebat naturam humanam peccato primi hominis ita violatam esse, & arbitrium voluntatis sub terrenarum rerum cupiditate depressum, ut libertas ad faciendum bonum & ad abstinendum à malo interierit, & loco libertatis peccandi necessitas consecuta sit. Quæ doctrina quamvis in Augustini scriptis ita manifesta sit, ut in oculos vel somnolentissimi lectoris irruat, verbaq; sensum suum luculentissimè secum ferant, inventa tamen est nonnulla tergiversatio ab ijs qui difficulter sibi persuaderi sinunt, Philosophos libertatem arbitrij ad bonum malumque prædicantes tantoperè in re naturali lumine quasi sibi perspectâ deviasse. Quamobrem interpretationem, vel potiùs eversionem doctrinæ ipsius, non ex lucubrationibus ejus, sicut oportebat, sed ex ingenij sui viribus excogitarunt, qua dicant, juxta Augustinum perijsse libertatem ad bonum, nempe pietatis atque religionis; non moralis honestatis: nisi fortè eatenus, quòd jam post peccatum solis arbitrij viribus totam legem moralium præceptorum implere non possit: perijsse libertatem abstinendi à peccato, inductamque peccandi necessitatem, quia non potest ante gratiam sine peccato mortali vivere, multò minùs absque omni peccato, sicut homini ante peccatum facile fuit. Ab ista recentiorum interpretatione ut Augustini doctrinam vindicaremus, verum sensum ejus illum esse diximus, quem planissimè verba præ se ferunt, hoc est, ita peccato perijsse libertatem arbitrij ad faciendum bonum, ut ante gratiam non solùm non possit universam legem moralis honestatis implere, sed nec unam quidem, nec unum opus ejus, ita scilicet, ut absque omni etiam alterius generis peccato impleatur: ita perijsse libertatem abstinendi à peccato, ut nec in ullo quidem opere omnis peccati culpam possit effugere: ita inductâ esse peccandi necessitate, ut in omni actu, quo legem sibi videtur vel servare vel transgredi, reus alicujus peccati teneatur. Hunc sensum trium illorum capitum, de perdita boni faciendi malique vitandi libertate, inductaque consequenter peccandi necessitate, ut genuinum esse probaremus, septem aut octo argumentorum classibus ex ejusdem sanctissimi Doctoris doctrina à capite decimo quinto huc-usque demonstravimus, nullum omninò opus, non solùm pietatis æternæque vitæ meritorium, sed nec morali honestate bonum, sive non malum, sine gratia Salvatoris, imò sine fide posse fieri: cujus doctrinæ illustrandæ causâ longo illo circuitu de omnibus operibus & virtutibus infidelium tanquam peccatis & vitijs usi sumus. Quæ si vera sunt, sicut juxta Augustini principia vera esse dubitare non sinimur, perspicuè sequitur, omnem omninò libertatem arbitrij ad bonum morale faciendum ita perijsse, ut nullum omninò opus moraliter bonum sine vera proprièque dicta gratia posit facere, ut propterea quoque arbitrium ante gratiam illam non sit liberum à peccando abstinere, sed quòcunque se verterit hîc & nunc in singulis actibus, quadam humanis viribus insolubili peccandi necessitate teneatur. Si enim non esset in voluntate necessitas peccandi in singulis actibus ante gratiam, profectò ante illam facere posset aliquem actum saltem moraliter bonum. Nam in moralibus non esse actus medios, qui neque boni sint, neque mali, in Augustini doctrina nulla controversia est, qui ex finis illius, quem vera sapientia præ oculis habendum præcipit, absentiâ & præsentiâ malitiam quorumlibet officiorum bonitatemque metiri solet. Iam quid argumentorum adversùs istam doctrinam à recentioribus opponatur, expendendum est.

## CAPVT XIX.

### Solvitur argumentum primum ex Augustino, & ostenditur, quomodo juxta mentem etiam Scholasticorum libertas arbitrij in peccando cum peccandi necessitate consistat.

PRIMUM igitur argumentum ita formari potest: Si non est libertas abstinendi à peccato, sed peccandi necessitas in voluntate, jam peccatum non erit peccatum. Quod enim necessarium est hoc ipso non est peccatum, utpote quod voluntarium esse debet. Vnde Augustinus: *Vsque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Vbi per voluntarium non aliud quàm liberum intelligi debere, videtur manifestum. Ergo nec ex mente Augustini per peccatum peccandi necessitas adducta dici debet, utpote quæ repugnet voluntario sive libero.

*Lib. de vera Relig. c. 14.*

Respon-

Respondetur, hoc argumentum, sicut à Scholasticis intelligitur necessitas peccandi & libertas abstinendi, nullam omnino vim habet adversùs Augustini sententiam. Ipsi enim peccandi necessitatem vocant; qua quis ad hoc peccatum, quod hic & nunc perpetratur, ita determinatur, ut ab eo abstinere non possit: libertatem autem dicunt, qua istud potest facere, & à faciendo abstinere. Hujusmodi autem faciendi necessitatem, neque tribuit libero arbitrio Augustinus, neque ab eo tollit hujusmodi libertatem abstinendi: sed hæc est necessitas, quam Augustinus peccato advectam esse profitetur, quòd liberum arbitrium ita rerum terrenarum cupiditate captivum sit, antequam fide Creatoris charitateque liberetur, ut quoquoversum sese verterit, in genere necesse sit illud malè agere; sic tamen ut in singulari nullum peccatum ita necessariò perpetret, quin ab eo possit abstinere: sed ab illo abstinendo in aliud incidat, quod similiter aliud faciendo cavere potuisset. Hæc necessitas peccatum in genere duntaxat, non singula peccata in particulari respicit: nec illam liberæ voluntatis indifferentiam tollit, quam Scholastici recentiores postulant. Similem enim necessitatem omnes ponunt in Deo, Angelis, ac beatis hominibus respectu boni; & saniores etiam in dæmonibus damnatisque hominibus respectu mali: cùm tamen singulos actus bonos Deus, Angeli, Beatique liberâ faciant voluntate, ac dæmones damnatique malos. Ita quippe faciunt & illi opus bonum, & isti malum, ut non solùm illud non facere possint, sed etiam aliud alterius rationis facere. Quòd si hoc Scholasticis ad salvandam ipsius Dei, & Angelorum, beatorumque hominum libertatem in singulis actibus abundè satis est, & juxta eorum principia satis esse debet, quæ nullo modo libertatem contrarietatis boni ac mali ad arbitrij aut actus ejus libertatem; sed solummodo libertatem contradictionis ut necessariam postulant: coguntur etiam profiteri, arbitrium lapsorum hominum nullo modo in peccando desinere esse liberum, quamvis generali quâdam peccandi necessitate vinciatur. Erit enim liberum quoad exercitium, ut loquuntur; necessitatum quoad specificationem.

Iam verò sic Augustinum revera illam peccandi necessitatem intelligere, ex eo perspicuum est, quòd ipse non raro fateatur, unum peccatum à peccatore posse alterius peccati perpetratione vitari, unam tentationem alteri cedendo superari. Qua de re in genere dicit in libris de Civitate Dei: *Nonnunquam sanè apertissima vitia alijs vitijs vincuntur occultis, quæ putantur esse virtutes.* Et in libro de continentia de nonnullis dicit, quòd *contemendo vel erroribus servunt, vel aliquas minores cupiditates ideo vincunt, ut alias expleant, quarum granditate vincuntur.* Et in particulari ad singulos descendendo modos, quibus vitium incontinentiæ alio vitio superatur: *Quidam,* inquit, *quod mirum dictu videri potest, per incontinentiam se cohibent; velut si se mulier contineat à marito, quia hoc iuravit adultero: quidam per iniustitiam &c. Item quidam continent decepti fide falsa, & vana sperantes, vana sectantes, in quibus sunt omnes hæretici, quorum continentia vera esset, si esset & fides vera.* Et de Agonistis coronam corruptibilem appetentibus: *Hæc,* inquit, *cupiditas vana, ac per hoc prava, vincit in eis & frenat alias cupiditates.* Et de Romanis gloriæ cupiditate mira perpetrantibus: *Isto uno vitio, id est, amore laudis pecuniæ cupiditatem, & multa alia vitia comprimentes.* Et rursum: *Ceteras cupiditates huius unius ingenti cupiditate pressérunt.* Et utrumque simul tangens modum, quo vitium, vel justitiâ, vel alio vitio superatur: *Quoniam revera vitium est,* (vili velle emere, & carò vendere) *potest quisque adipisci eiusmodi iustitiam, vel alicuius alterius vitij, quod huic contrarium est, incurrere pestilentiam, quâ huic resistat & vincat.* Cujusmodi sententiæ sancti Augustini tàm crebæ, tam perspicuâ quotidianorum exemplorum luce firmatæ manifestissimè demonstrant, non ita doctrinam ejus de peccandi necessitate capiendam, quasi hominem sine ulla omninò indifferentia ad hoc vel istud peccatum perpetrandum velit: sed ita tantùm, ut in genere quocunque sese concupiscentiarum suarum servus verterit, peccatum evadere non possit. Talis enim animus *indefinenter servit temporalibus desideriis.* Et, ut alibi dicit, *malitiæ qualitate sive huc, sive illuc moveatur, malè movetur.*

Ex quibus Augustini principijs & illud intelligitur, quo pacto consuetudines radicatas, ut supra vidimus, peccandi necessitatem vocet. Non enim sic intelligi debet, quasi determinatè nullâ relictâ exercitij indifferentiâ ex consuetudine peccatum perpetret; sed ita tantùm, ut quemadmodum qui per originalis peccati plagâ illâ generali & humanis viribus indelebili creaturæ cupiditate possessus est, necessariò peccat aliquo cupiditatis actu, nisi illa inspirata cælitùs Creatoris charitate superetur; ita qui certi vitij cupiditate per consuetudinem inolitam radicatâ detinetur, tentatione pulsatus, aliquo istius vitij actu ex necessitate cadat, nisi alio potentiori cupiditatis alterius retinaculo teneatur. Casus tamen ille in ista vitij inoliti specie mille modis variari potest. Sic enim superbi & humanæ laudis avidi ex ejusdem vitij cupiditate & loquuntur & silent; se jactant, deprimuntque; honores ambiunt, & aspernantur; jejunant, & comedunt: cum in omnibus idem appetitus excellentiæ assequendæ, vel timor amittendæ dominetur.

Lib. 21. de Civit. c. 26.

Lib. de continent. cap. 13.

Cap. 12.

Lib. 4. contra Iul. c. 3.

Lib. 4. de Civit. c. 12.

Lib. 13. de Trinit. c. 3.

Frag. 3. Sermone q. 18. sup. Exod.

## CAPVT XX.

### Declaratur quomodo nunc sit liberum à peccato abstinere juxta mentem Scholasticorum, etsi hoc negare videatur Augustinus.

HINC ulteriùs & illud liquet, quo pacto nihil Scholasticis repugnet id quod sæpissimè Augustinus dicit, nunc post lapsum primi hominis, *non esse liberum à peccato abstinere*: ac definitionem peccati, qua dicitur esse *voluntas retinendi, vel consequendi quod iustitia vetat, & unde liberum est abstinere*, se tantùm de peccato primi hominis, seu de peccato quod non est pœna peccati, intelligere. Qua de re testimonia ejus multa in præcedentibus dedimus. Nam ista & similia non sic intelligit Augustinus, quasi nunc non possit quoquo modo ab illo peccato, quod hîc & nunc facit, abstinere, nempe aliud vel ejusdem generis vel alterius perpetrando, quod multis ejus testimonijs & exemplis jam falsum esse declaravimus: sed ita intelligit, non esse liberũ abstinere, ut nec illius nec alterius peccati, sive levioris, sive gravioris, in abstinendo sit reus. Parvi enim momenti est Augustino libertas illa exercitij seu indifferentia abstinendi Philosophica, quâ unum peccatum in aliud irruendo fugitur. Sed de illa libertate loquitur, qua sic abstineri à peccato potest, ut peccatum sine peccato superetur, atque ita sequatur vera peccati victoria, qua verè victor peccati, non à peccato victus dici queat. Nam ex isto doctrinæ & intelligentiæ fonte nascitur, quod Aug. peccatũ nunquam victum esse sentiat, nisi Dei amore, non aliâ pravâ cupiditate vincatur. Nam cùm dixisset, ut jam vidimus, quòd nonnunquam apertissima vitia alijs vitijs vincantur occultis, subtexit illicò: *Tunc itaq; victa vitia deputanda sunt, cùm Dei amore vincuntur.* Et alibi exponens, quid sit non intrare in tentationem, hoc est, abstinere à peccato, cujus tentatione pulsatur: *Non intrat*, inquit *in tentationem, si voluntate bonâ vincat concupiscentiam malam.* Nimirum juxta illud Apostolicum: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Si quis enim concupiscentiam malam aliâ voluntate mala vicerit, jam in tentationem intravit, neque victor mali, sed à malo victus erit, unde in eodem illo loco ubi de libertate abstinendi à peccato & resistendi malæ cupiditati disserit, non semel indicat se de tali resistendi & abstinendi potestate loqui, qua peccatum bonâ voluntate, nulla alia peccati cupiditate reprimatur. *Quisquis*, inquit, *sciens peccat, si potest cogenti ad peccatum* SINE PECCATO *resistere, nec tamen facit, utique volens peccat.* Et rursum: *Qui verò cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, & ideo facit contra præcepta iustitiæ, iam hoc ita peccatum est, ut sit etiã pœna peccati.* Ecce sine alio peccato, bonâque voluntate concupiscentiæ resistendum esse docet; ut quis cupiditate suâ non coactus, sed liber in abstinendo esse dicatur.

*Lib. de duabus animab.*

*Lib. 1. Retract. c. 15. & l. 1. oper. imperf.*

*Lib. 21. de Civit. c. 16.*

*Lib. de grat. & lib. arb. cap. 2.*

*Rom. 12.*

*Lib. 1. Retract. cap. 15*

Hæc igitur consequenter etiam ratio est, cur nunquam verè seu veraciter tentationem peccati superari tradat, nisi quando non alterius cupiditatis sed justitiæ delectatione superatur. *Neque id fit veraciter* (scilicet vitia vincuntur) *atque sinceriter, nisi veræ dilectione iustitiæ. Hæc est autem in fide Christi.* Et alibi: *Probatur non regnare concupiscentia, dum iustitiæ delectatione vincente non fiunt mala.* Et in sermone de Natali sancti Vincentij: *Quisquis viribus suis hoc se posse præsumpserit, etsi videtur vincere patientiâ, vincitur à superbia. Bene vincere, hoc est, universas machinas vincere &c. Quando ergo vincit, nisi cùm dicit: In Domino laudabitur anima mea.* Si hoc est, benè, veraciter, sinceriter, vitium vincere, justitiæ delectatione universas machinas vincere, profectò, hoc est, juxta S. Augustinum peccato resistere, & à peccato abstinere, justitiæ delectatione, bonâque volũtate resistere & abstinere. Alioquin peccato non resistitur; sed ceditur; non abstinetur, sed committitur; si non istud, certè aliud, quod ex eâdem concupiscentiæ prementis instantisque importunitate proficiscitur.

*Lib. 21. de Civit. c. 16.*

*Lib. 1. Retract. c. 15.*

*Serm. 1. de Pent.*

Ex quibus admodum sanè perspicuum est, nullam Scholasticis ansam querimoniæ per illam peccandi necessitatem, sublatamq; abstinendi libertatem, quam August. docuit, esse datam, quo minùs illam exercitij seu contradictionis libertatem singulis peccatis perpetrandis, quam ipsi ad veram arbitrij libertatem satis esse putant, salvam habeant. Hoc tamen ingenuè fateor me in universis Augustini monumentis nondum invenisse, quòd peccata, quæ ante gratiam per concupiscentiæ nobis insperſæ consperſæque necessitatem committuntur, idcircò nobis libera sint, quia possumus unum peccatum alterius cupiditate superare, aut hoc vel istud quadam indifferentia contradictionis omittere, & aliud facere. Aliam ista Philosophiam quàm Augustini sapiunt. Quæ libertas contradictionis si cui ad intelligendam ejus doctrinam de peccatorum libertate, conjunctaq; peccandi necessitate sufficere videatur, equidem per me licet. Non enim hujusmodi indifferentiam à peccatis lapsorũ hominum ex necessitate commissis excludit Augustinus; quamvis, ut verum dicam, nec eam in ullis, quòd sciam, lucubrationibus sollicitè quærat aut postulet, aut sub nomine libertatis arbitrij ad peccata facienda vel commemorandam putet. Vt propterea non immeritò adhuc inquiri possit, utrum August. ita

ita intelligat revera, quemadmodum dixi- A peccato) *non est voluntas.* Ratio dubitandi est, quòd Augustinus expressis verbis sæpiùs doceat, nunc non esse liberum abstinere à peccato, imo peccata nunc non committi voluntate, sed necessitate: *Iam pœnalis vitiositas subsecuta ex libertate fecit necessitatem*, quæ tamen peccata si primus homo, ut audivimus, *necessitate fecisset*, nullo, inquit, *peccati crimine teneretur.* Nam quare magis primus homo per illam necessitatem fuisset excusatus, quam posteri ejus, si talis peccandi necessitas indifferentiam exercitij non excludit.

tum ita esse, voluntarium, ut [a] *nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Item [b] *nusquam nisi in voluntate esse peccatum.* Nam in hujusmodi verbis voluntas opponitur necessitati, sicut patet ijsdem locis citatis, quando adijcit: *Quod autem homini à perverso Angelo persuasum dicitur, etiam ad hoc utique voluntate consensit. Nam si necessitate id fecisset, nullo peccati crimine teneretur.* Vt proinde voluntas non sit aliud quàm libertas, ipsomet Augustino dicente: *Quanquam si liberum non sit abstinere*, (scilicet à

a Lib. de vera Religg. 14. b Lib. de duabus animab. cap. 10.

Lib. de vera Relig.

Lib. de duabus animabus cap. 11.

Lib. de perf. inst. c. 4.

## CAPVT XXI.

### Eadem Augustini loca exponuntur aliter juxta genuinam ejus sententiam.

QVAMOBREM quia nonnullis gratum futurum arbitror, verum Augustini sensum intelligere, eumque non modo non repugnare Scholasticorum principijs, sed neque suis, operæpretium erit istorum locorum satis difficilem intelligentiam & à recentiorum sensibus paulò remotiorem paucis, Deo juvante, patefacere. Sciendum est igitur, voluntatem atque necessitatem in istis Augustini & alijs plerisque locis longè aliter quàm à Scholasticis usurpari. Hi enim non aliam intelligunt voluntatem (loquendo non de potentia, sed de motu ejus) & voluntarium, quàm vel motum generaliter qui à potentia voluntatis proficiscitur, qualis est & amor beatificus; vel certè motum quem perfectè voluntarium vocant, hoc est, phrasi in scholis usitatâ, liberum seu indifferentem ut fiat vel non fiat positis omnibus ad agendum necessarijs: tui oppositum intelligunt necessarium, seu id quod ad unum tantùm determinatum est. Neutrum istorum ab Augustino in istis vocabulis intelligi solet. Voluntas enim ab eo peculiari phrasi usurpatur pro motu voluntatis illo, qui nullâ coactione non solùm physicâ quæ respectu voluntatis impossibilis est, sed neque morali à potentia voluntatis proficiscitur, sive motus ille positis omnibus indifferenter ab ea, sive ad unam partem determinatè fluat. Motus verò qui sic coactè à voluntate nascitur, sive terrente metu mali, sive concupiscentiâ stimulante, vocatur ab Augustino *necessarius*. & necessitas ipse metus aut cupiditas quâ exprimitur; sive interim motus ille singularis ita fiat à voluntate, ut alio metu aut cupiditate vitari possit, sive non possit. Hæc acceptio respondet vocibus illis à voluntate deductis, quibus dicitur aliquis volens aut nolens aliquid facere. Nolens aliquid facit, qui invitus, aut coactus, aut necessitate id facit: volens è contrario, qui sponte nullo intrinsecus contra voluntatis inclinationem impellente. Hinc enim ille motus, voluntas, illa necessitas seu necessarius, id est, coactus dicitur. Hoc enim Augustino est necessarium, ut latè infra declarabimus, quod fit nolentibus nobis; sive absolutè, sive secundùm quid; ut respectu voluntatis non aliud Augustino sit necessitas, quàm coactio. Sed ipsum Augustinum se explicantem audiamus, quod nisi fecisset, haud scio an quisquam nunc sensum ejus de voluntate & libertate, quâ solum primum Adami peccatum perpetratum esse tradidit, assequeretur. Sic ergo loquitur in eodem loco, ubi *non nisi voluntate peccari* dixerat: *definitur itaque* voluntas *ipso modo: Voluntas est animi motus cogente nullo ad aliquid vel non amittendum vel adipiscendum.* Hâc definitione certissimum est, non non omnem omninò voluntatis motum esse comprehensum. Quisquis enim timore compulsus aliquid facit, non facit hoc nullo cogente; & consequenter non voluntate seu volens phrasi Augustini, seu necessitate, hoc est nolens, invitus, & coactus facit. Sic enim ipse subtexit: *Cur ergo ita tunc* (cùm essem Manichæus) *definire non possem? An erat difficile videre invitum volenti esse contrarium, ita, ut contrarium sinistrum dextro esse dicimus, non ut nigrum albo? Nam eadem res simul & nigra & alba esse non potest: Duorum autem in medio quisque positus ad alterum sinister est, ad alterum dexter: simul quidem utrumque unus homo potest, sed simul utrumque ad unum hominem nullo modo potest: ita invitus & volens simul esse eidem unus animus potest, sed unum atque idem nolle simul & velle non potest.* Quibus in verbis invitus seu coactus dicitur, non qui nullo modo vult aliquid, ut cùm invitus occiditur, aut deijcitur, aut propellitur; sed is qui vult aliquo modo & facit, etsi invitus velit & faciat. Declarat hoc ipsum luculentissimè subnectendo: *Cùm enim quisque invitus aliquid facit, si eum roges, utrum id facere velit, nolle se dicit. Item, si roges, utrum id velit non facere, velle respondet. Ita invitum ad faciendum, ad non faciendum autem volentem reperies: id est enim unum animum uno tempore habere utrumque sed aliud atque aliud ad singula referentem.* Etiam ostendens quo pacto ista ad illustrandam propositam definitionem voluntatis, à qua quis volens, seu volun-

Vide lib. 6. de grat. Christi Salvatoris c. 6. & 7.

Lib. de duabus animabus cap. 10.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem. voluntarius, seu non invitus dicitur, faciant: A
cur, inquit, *hæc dico? Quia si rursum quæramus, quam ob causam id invitus faciat, cogi se dicet. Nam & omnis invitus faciens cogitur, & omnis qui cogitur, si facit, non nisi invitus facit. Restat igitur ut volens à cogente sit liber, etiamsi se quispiam cogi putet. Et hoc enim modo omnis qui volens facit non cogitur, & omnis qui non cogitur aut volens facit, aut non facit.* Ex quibus mox tanquam rem suâ luce clarissimam conficit, rectissimè à se definitam esse voluntatem, quòd sit *motus animi cogente nullo ad aliquid vel non amittendum vel adipiscendum.* Ex quo manifestum est, ab illo motu voluntatis, quam Augustinus voluntatem vocat, & unde dicitur ab ipso voluntarium, omnem omninò coactionem, sive metus, sive cupiditatis abesse, quia non minus aliquis efficitur invitus cupiditate, quam metu. Hinc est enim quòd Augustinus nonnunquam dicit, quosdam *odisse quia consentiunt* con- B
Lib. 1. de nupt. c. 28. cupiscentiæ, *sibiq; displicere, quod decernunt & faciunt malum*: à quibusdam *gementibus atq; sentiens.* 45. de temp. c. 1. *bis* concupiscentiæ cõsentiri. Et de seipso cu-
Lib. 8. Confess. cap. 5. piditati concubitus serviente: *Ex magna parte id patiebar invitus, quod faciebam volens.* Voluntas igitur apud Augustinum nemini competit, qui aliquid concupiscentiâ vel metu premente invitus facit; sed est motus animi *cogente nullo.* Quod ipse declarat in Retractationibus, id exponens, quod illâ definitione cogitaverat.
Lib. 1. Retract. c. 15. *Quòd propterea dictum est*, inquit, *ut hâc definitione volens à nolente discerneretur.*

Hinc est quod talis voluntas in Augustini doctrina prorsus eadem sit, quæ libertas seu voluntas libera: usque adeo ut voluntas tali sensu, & libertas seu libera voluntas Augustino sint Synonima. Patet hoc perspicuè ex eo, quòd cùm Aug. in peccati definitione posuisset voluntatem seu volitionẽ ut genus definiti, & postea subjecisset, *unde liberũ est abstinere*, hoc est, C
quod non cogimur inviti facere, statim corrigit se, & postremam istam partem superfluam esse testatur: *Quanquam si liberum non sit, non est voluntas; sed malui crassius quàm scrupulosius definire?* Nimirum quia si non est nobis liberum abstinere, hoc est, si cogimur facere, jam non est motus animi cogente nullo, & proinde non est voluntas. Et in Retractationibus
Ibid. voluntatem explicans: *Qui primi in paradiso fuerunt humano generi origo mali, nullo cogente peccando, hoc est, liberâ voluntate peccando: quia & scientes contra præceptum fecerunt, & ille tentator suasit ut hoc fieret, non coegit.* Quibus verbis ostendit, primos parentes voluntate, id est, non invitos, sed sponte, & liberâ voluntate, quia videlicet nullo cogente, peccavisse. Ex quo sit ut hujusmodi voluntatem in libro de Spiri-
Lib. de Spir. & litt. c. 31. tu & Littera *plenam & liberam voluntatem*: alteram verò, qua quis invitus aliquid facit, *extortam* vocet.

Hinc fit consequenter, ut nisi voluntas non D
tantùm à metu, sed etiam in primis à concupiscentiæ servitute liberata sit, motum voluntatis, quo servitur concupiscentiæ, nec liberam voluntatem, imo nec voluntatem Augustinus appellendum esse velit: *Nam quando tale est peccatum, ut idem sit & pœna peccati, quantum est quòd valet voluntas sub dominante cupiditate, nisi fortè, sæpia est, ut oret auxilium? In tantum enim libera est*, scilicet à dominatu cupiditatis, *quia in tantum liberata est, & in tantum appellatur voluntas, alioquin tutiùs cupiditas, quàm voluntas propriè nuncupanda est.* Nimirum cupiditas Augustino est omnis voluntatis motus, qui ex concupiscentia boni cujuscunque temporalis adipiscendi vel retinendi à potentia voluntatis proficiscitur; voluntas verò solus ille motus, qui à cogente cupiditate vel metu inde pullulante sit liber; qui hac de causa *libera voluntas* dicitur.

Lib. 1. Retract. c. 15.

Ex quo primitiva quoque causa intelligitur, cur charitas ab Augustino libertas dicatur, quia scilicet illa sola liberat voluntatem à concupiscentia dominante: itemque cur libertas Augustino respiciat ut terminum à quo concupiscentiam, sicut infra latè deducetur, quia ab illius servitute voluntas liberatur, ut habeat actum serviendi Deo in sua potestate. Hoc est enim esse liberum, habere actum in sua potestate. Hæc aliaque plura ab illo principio pendent, quòd juxta Augustinum, nisi sit *motus animi cogente nullo*, & consequenter à concupiscentia ad peccandum cogente liber, nec; voluntas, nec libera voluntas dici possit. Necesse est enim *ut volens*, inquit ipse, hoc est, voluntarius, *à cogente sit liber.*

Lib. de libertate arbitrio c. 13.

Ex his jam intelligitur sensus illius definitionis, qua peccatum ab Augustino definitur esse, *voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere.* Cùm enim voluntas in illo loco non significet aliud nisi *motum animi cogente nullo*, id est, motum à metu & omni cupiditate stimulante ac dominante liberum, sicut jam exponentem audivimus, apertissimum est, non omne peccatum hâc definitione comprehendi. Omnia quippe peccata, quæ vel ex ignorantia vel ex concupiscentia committuntur, exclusa sunt. Voluntas enim ab illis pœnis non est libera, nec est liberum ab illis peccatis abstinere ante gratiam; quia non fiunt per motum animi *cogente nullo* prodeuntem. Neque nos incertis ratiocinationibus hoc colligimus, sed ipse Augustinus hoc expresè docet. Nam hoc sibi vult illa quam protulimus, expositio definitionis voluntatis: *Quod propterea dictum est, ut hâc definitione volens à nolente discerneretur, & sic ad illos referretur intentio, qui primi in paradiso fuerunt humano generi origo mali, nullo cogente, peccando, hoc est, libera voluntate peccando, quia & scientes contra præceptum fecerunt, & ille tentator suasit ut hoc fieret, non coegit*, hoc est, ideo liberâ voluntate peccarunt, quia & ignorantiâ & concupiscentiâ cogente caruerunt, per quarum utramque mox dicit *nolendo* peccari, quia qui sic peccat non suâ sponte, aut propriâ liberâque incitatus voluntate delinquit. Et apertissimè paulò post de peccati definitione, quæ requirit ut sit *liberum abstinere*, sic subjungit: *Propterea vera est, quia id definitum est, quod tantummodo peccatum est,*

Lib. 1. Retract. c. 15.

Ibid.

Lib. 1. Retract. c. 15.

Ibid.

*est, non quod est etiam pœna peccati*, scilicet ratione ignorantiæ vel concupiscentiæ, ex quibus juxta superius disputata omnia peccata lapsorum hominũ perpetrantur. Et rationem dans, cur illa peccata non liberâ voluntate, sed potiùs concupiscentiæ serviente perpetrentur: *Nam*, inquit, *quando tale est ut idem sit & pœna peccati, quantum est quod valet voluntas sub dominante cupiditate, nisi forte, si pia est, ut oret auxilium? In tantum enim libera est, quia in tantum liberata est &c.* Et evidentissimè in libris contra Iulianum, qui illa sancti Doctoris definitione abutebatur, ut conficeret, omne peccatum ejusmodi esse debere, ut inde sit liberum abstinere, & ita nullum peccatum ignorantiæ vel concupiscentiæ necessitate committi: *Ipse est Adam*, inquit, *quem nostra illa definitio quæ tibi placuit intuebatur, cùm diceremus: Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod iustitia vetat, & unde liberum est abstinere. Adam quippe omninò quando peccavit nihil in se habebat mali, quo nolens*, id est, invitus *urgeretur ad operandum malum, & propter quod diceret: Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago. Ac per hoc id egit, quod iustitia vetat, & unde illi liberum fuerat abstinere.* An igitur illa definitio peccatis post lapsum perpetratis convenire non potest? Audi ipsum: *Nunc ei qui dicit: quod nolo malum, hoc ago*, id est, ei qui concupiscentiæ subjugatus est, *abstinere inde liberum non est. Ac per hoc tria ista discernas & scias, aliud esse peccatum, aliud pœnam peccati, aliud utrumque.* Quæ clarissimè docent id quod in Retractationibus dixit, solum id quod peccatum est, non pœna peccati, hoc est, quod purâ liberâque neque concupiscentiæ, neq; ignorantiæ subjugatâ volũtate cõmittitur, hâc definitione destriptum. Quam doctrinã sexies aut septies in ijsdem illis libris contra illum Iuliani conatum repetit. Loca superiùs allegata sunt, neque hic cum fastidio repeti debent.

Lib. 1. opus imperf. c. 40.

Sup. c. 9. & 10. huius libri.

Iuxta hanc igitur doctrinam, qua solum primum hominis peccatum voluntate, id est, liberâ voluntate, seu nullo cogente perpetratum esse docet, ita ut ei omninò liberum esset abstinere, etiam alia similia loca intelligi debent, & in primis ille celeberrimus, quem objecimus ex libris de vera religione: *Vsque adeo peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Accipit enim voluntarium prout à *voluntate*, hoc est, ab illo animi motu, qui nullo cogente profluit, seu à libera voluntate, juxta phrasim Augustini, nominatur: ut proinde non nisi primi hominis peccato, quod simpliciter peccatum & non pœna peccati fuit, tale voluntarium competat. Fuit enim uti peccatũ propriè dictum, ita etiam strictissimè dictâ voluntate, hoc est, ab ignorantiæ & cupiditatis cogentis visco liberrimâ voluntarium. Cujusmodi voluntate nisi consensus Adami esset voluntarius, sed *id necessitate fecisset*, ut ait Augustinus, *nullo peccati crimine teneretur*; nempe peccati propriè dicti, quod non esset pœna peccati. Quanquam etiam intelligi posset, nullo omninò peccati crimine, etiam illius quod peccati pœna esset, futurum fuisse reum. Quod quomodo verum sit, quando de pura natura disputabimus, dicturi sumus.

Cap. 14.

Sed mira sine dubio falsaque videretur hæc recentioribus interpretatio de peccato propriè dicto & liberâ voluntate, nisi ipse Augustinus eam præformasset. Nam illa ipsa sua verba explicans in libris Retractationum: *Potest*, inquit, *videri falsa hæc definitio peccati tam voluntarij, sed si diligenter discutiatur, inveniatur esse verissima. Peccatum quippe illud cogitandum est, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pœna peccati, sicut superiùs ostendi, cùm quædam commemorarem ex libro tertio de libero arbitrio.* Verba verò ad quæ commemorata respicit, postquam multa peccata protulisset, quæ supplicia peccatorum sunt, nec liberâ voluntate, sed ignorantiæ concupiscentiarq; necessitate committuntur, ista sunt: *Non posse à libidinosis operibus temperare, non natura instituit hominis, sed pœna peccati est. Cùm autem de liberâ voluntate rectè faciendi loquimur, de illa scilicet in qua homo factus est, loquimur.*

Lib. 1. Retract. c. 13.

Ex lib. 3. de lib. arb. c. 18

Eodem prorsus modo & alia eius verba, & quotquot similia contra Manichæos protulit, exponi debent; ut illa, quibus in libro de duabus animabus dixit: *Nusquam scilicet nisi in voluntate esse peccatum.* Nam & istic voluntas strictè sumitur pro motu libero à cogente, sicut contra Manichæos de origine peccati, id est, primo peccato disputantibus sumi debuit. Vt proinde nulli, nisi primo peccato & istud competat, quod liberrimâ voluntate commissum est. Audi & hic Augustinum, qui illud ipsum de istis verbis tradit: *Peccatum*, inquit, *quod nusquam est nisi in voluntate, illud præcipuè intelligendum est, quod iusta damnatio consecuta est*, id est, Adami. Cur autem *præcipuè* dicat, ipsemet rationem reddit, quia & illud *peccatum quo consentitur peccati concupiscentiæ non nisi voluntate committitur.* Ita quidem; sed hoc duabus ex causis sine præjudicio prædictorũ verũ esse intelligi debet; primò, quia talis voluntas ex origine illius liberrimæ proprieq; dictæ volũtatis nata est, juxta id quod subijcit: *Quod si quisquam dicit, etiam ipsam cupiditatem nihil aliud esse quam voluntatem, sed vitiosam, peccatoq;*, id est, concupiscentiæ *servientem; non resistendum est, nec de verbis, cùm res constat, controversia facienda est. Sic enim ostenditur, sive voluntate nullum esse peccatum, sive in opere, sive in origine.* Illa igitur cupiditas etiam voluntas dicitur, quia ex origine liberæ voluntatis profecta est. Vnde & parvulorum peccatum ibidem dicit *nusquam esse potuisse nisi in voluntate, quâ volũtate commissum est, quando divini præcepti est facta transgressio.* Et alibi dicit, illorum peccatum esse *voluntarium*, quia *ex prima hominis malâ voluntate contractum.* Secundò, quia voluntas sæpè ab ipso quoque Augustino latiùs usurpatur, hoc est, non solum pro illo liberrimo voluntatis motu, qui nullo cogente à potentia fluit; sed pro quolibet, etiam illo, quo sive timori cogenti, sive dominanti concupiscentiæ servimus; quæ usurpatio

Lib. de duabus animab. cap. 10.

Lib. 1. Retract. c. 15.

Ibidem.

Cap. 13.

pa 10 nunc recentioribus usitata est. Hinc in eodem illo Retractationum loco, quo solum primum peccatum se voluntarium appellasse declaraverat, statim addit: *Quamvis & illa quæ non immeritò, non voluntaria peccata dicuntur, quia vel à nescientibus, vel à coactis perpetrantur, non omninò possunt sine voluntate committi.* Vbi (*non omninò*) significat aliquod adesse genus voluntatis, etsi non illud quo proprie primum peccatum vocaverat voluntarium. In ignorantibus enim adest *voluntas facti* non *peccati*: in servientibus concupiscentiæ, adest voluntas per impetum dominantis cupiditatis extorta. *Quoniam & ille qui peccat ignorans, voluntate utique facit, quod cum faciendum non sit, putat esse faciendum.* Quia voluit enim fecit, *etiamsi non quia voluit peccavit. Et ille, qui concupiscentiæ adversùs spiritum carne, non ea quæ vult facit, si vincitur, concupiscentiæ consentit v. leus; & in eo non facit nisi quod vult, liber scilicet iustitiæ, servus q; peccati.* Hinc utrumque genus voluntatis & illius quæ proprie voluntas dicitur, quâque caret quisquis invitus seu nolens aliquid facit, & illius quæ propriè cupiditas nuncupatur, simul jungit in libro de Spiritu & littera: *Neque enim dici solet quispiam voluntate fecisse, siquid fecit invitus:* ecce primum genus voluntatis propriæ dictæ, qua primi hominis peccatum voluntarium fuit ita ut ei liberum esset abstinere. *Quamquam si subtiliùs advertamus, etiam quod quisque invitus facere cogitur, si facit, voluntate facit. Sed quia malit aliud, ideo invitus, hoc est, nolens facere dicitur. Malo quippe aliquo* (sive metûs, sive cupiditatis, quę non exiguum est creaturę rationalis malum) *facere compellitur, quod volens à se evitare, vel à se removere, facit quod cogitur:* ecce secundùm genus voluntatis, quâ quis timori aut cupiditati compellenti cedit & servit. Et utramque copulans: *Ac per hoc si facit* (is qui cogitur) *non quidem plena & libera voluntate, sed tamen non sanè nisi voluntate.*

Ibid. c. 15. Cap. 13. Cap. 15. Cap. 13. Lib. de Spir. & lit. c. 31.

Quod si quis fortè miretur, cur Augustinus ita locutus fuerit, ut omne peccatum voluntate committi, & usque adeo voluntarium esse dixerit, ut si non sit voluntarium nullo modo peccatum sit: & tamen mox hanc generalem regulam de solo peccato, quod non est pœna peccati, hoc est, de solo primo peccato, intelligendam velit; scire debet in illis locis eum cum Manichæis de mali origine, hoc est, de primo malo disputasse, quod omnium malorum causa est, quibus atteritur genus humanum. Hoc Manichæi dicebant esse substantiam ab æterno malam; Augustinus liberam hominis voluntatem. Itaque cogebatur altiùs assurgere, quàm ad causam illam, ex qua nota nobis peccata perpetrantur. Nam & Augustinus & Manichæi satis advertebant, ea ex lege peccati, hoc est, ex pruriente molestissimaq; rerum temporalium concupiscentia, seu libidine, seu cupiditate proficisci; quam esse peccati antecedentis pœnam, hoc ipso satis liquebat, quod eam inviti nolentesque patemur. Talis enim animi dissipatio & molestia *ostendebat non naturam mentis alienæ*, inquit Augustinus de se, *sed pœnam meæ. Et ideo non iam ego operabar illam, sed quod habitabat in me peccatum, de supplicio liberioris peccati, quia eram filius Adam.* Ne igitur frustra de illis pœnalibus peccatis tempus tereretur, quæ Manichęi ex lege quidem peccati, sed tanquam ex natura mala nobis cōgenita pullulare fatebātur, necessariò veniendum erat ad primum peccatū velut originem ceterorum pœnaliū peccatorum, quod nullâ tali lege in membris præcedente, purâ voluntatis libertate perpetratum fuerat: & ideo purè simpliciterque peccatum, non pœna peccati dicebatur. Hanc ipsemet Augustinus causam suarum locutionum ac definitionum voluntatis & peccati reddit, cùm Iulianus omne peccatum liberâ voluntate committi debere, & ab eo *abstinere liberum esse*, contenderet: *Hic peccatum definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pœna peccati. De hoc quippe agendum fuit, quando mali origo quærebatur; quale commissum est à primo homine ante omnes homines malum, sed tu aut non potes intelligere, aut non vis.*

Lib. 1. Contra Iul. c. 3.

Ex his jam satis superque liquet, quantoperè in percipienda genuina Augustini mente fallantur, qui cùm audiunt, omne peccatum voluntate & liberâ voluntate, seu libertate, non necessitate committi; itemque debere *voluntarium* non *necessarium*; & esse debere *liberum* ab eo *abstinere*, putant illis phrasibus suas cogitationes de illa exercitij seu contradictionis libertate stabiliri, qua quis peccatum hîc & nunc possit facere & vitare, committere & ab eo saltem aliud perpetrando abstinere; reijcique necessitatem illam, qua quis ad peccatum istud singulare hîc & nunc perpetrandum determinatur. Nam quamvis verum sit, semper hujusmodi libertatem seu indifferentiam adesse, ut supra ex Augustini mente declaravimus, & abesse quoque hujusmodi necessitatem: non tamen Augustinus, non solùm in istis locis, sed nec unquam, quòd sciam, in scriptis suis talem libertatem vel oppositam necessitatem nomine libertatis aut necessitatis destruentis libertatem vocat. Sed voluntas, seu libera voluntas, seu libertas in illis locis est illa libertas antonomastica, de qua tam multa isto capite diximus, & infra dicturi sumus, motus videlicet voluntatis ab ignorantia & cupiditatis visco liberatæ, quem potentia voluntatis pro suo liberrimo nutu elicit, & quoquoversum sive ad bonum sive ad malum flectere potest, sicut Adamus potuit. Vnde motum istum in malum flectendo peccavit peccatum proprie dictum, quod nullo pacto supplicium alterius fuit. Talis voluntatis motus ante fidem nullus omninò in hominibus reperitur, idecque non adest eis libertas istâ phrasi, sed suo cupiditate captivitas ad alteram partem, videlicet ad perpetrandum dumtaxat malum: quæ captivitas eadem est cum illa jam dicta necessitate atq; coactione, à qua

Ibid. c. 3. de pec. Orig. c. 3. Libera voluntas.

qua dicuntur peccata, quæ fiunt ab infidelibus vi cupiditatis urgentisque, *necessaria* non *voluntaria*; & propterea consequenter non est eis liberum à peccato abstinere, non quasi non esset eis liberũ, peccatum quod faciũt alterius peccati perpetratione vitare, quod fieri ab eis posse diximus; sed quia non est eis illa libertas volũtatis, quę propriè Augustini, & Scripturæ, & Ecclesiæ phrasi libertas dicitur, qua sese scilicet à visco cupiditatis expediant, & in veri boni dilectionem transferant, qua solâ liberum sit à peccatis abstinere. Et hæc de Aug. mente satis.

## CAPVT XXII.

### Solvitur objectio de potestate vitandi peccata. Fusè quæ peccata & quâ libertate vitari possunt, quæ non: quænam ex imbecillitate vitandi peccata esse desinant, quæ non.

HÆc si perceperis, non invenies etiam in illis locis magnam difficultatem, quæ contra peccandi necessitatem, sublatamque abstinendi à peccato libertatem, quas Augustinus docet, alicui opponi posse viderentur. Tradit enim sæpè Augustinus, omne peccatum posse vitari, & nisi vitari posset, jam non esse peccatum. Hoc autem directè repugnare videtur illi peccandi necessitati, qua juxta eundem sanctum Doctorem potestatem abstinendi à peccato sublatam esse contendimus. Augustini loca, quibus illam vitandi peccati inseparabilem potestatem statuit, plura sunt, & præ ceteris ille ex libris de libero arbitrio; ubi cùm scrupulosissimè peccati causam exquireret, opponeretq; sibi: *An fortè violenta est, illa causa peccati & cogit invitum?* Quod maximè propter illã peccandi necessitatẽ dictum est, quam ex ignorantia concupiscentiaq; addũctam esse constituimus, generalissimè de peccati causis quibuscunque definit *Quacunque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei cedit: si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? Ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omninò non possit? si ita est, nulla ergo peccata sunt. Quis enim peccat in eo quod caveri nullo modo potest? Peccatur autem, caveri igitur potest.* Quæ verba sua tanquam vera alibi Augustinus agnoscit: & cùm sibi proposuisset: *Potest ergo ei causæ, quacunque illa est, resisti?* Respondet: *Potest planè.* Et in libro de perfectione justitiæ, cùm sæpè Celestius Augustinum velut ad exploratam absurditatem adigere niteretur, quòd omne peccatum aut vitari posset, aut peccatum non esset, respondet ei identidem Augustinus posse vitari. Fieri ergo non potest, ut necessitate peccetur, aut ut à peccato non sit liberum abstinere.

Lib. 3. de lib. arb. c. 18

Lib. de nat. & grat. c. 67.

Respondetur, si mentem Scholasticorum de potestate vitandi peccatum, ut peccatum esse possit, sequi volumus, ista loca nihil omninò stringere. Putant enim ad libertatem arbitrij in peccando, & ad potestatem vitandi peccati, ne propter impossibilitatem vitandi, peccatum esse desinat, satis esse, ut quòdlibet in singulari possit sive bonâ sive aliâ malâ voluntate vitari: quemadmodum ut bona sint Angelorum bonorum opera, malorumque mala, satis esse judicant, ut singula possint prætermittere, quamvis nec hi propterea bonum possint, nec illi malum facere. Libertas enim exercitij seu indifferentia contradictionis, sicut eis ad arbitrij libertatem, ita etiam ad peccati vitandi potestatem satis est. Solutio ista facilis est, & pro tuenda Augustini doctrina contra Scolasticorum argumenta sufficit: fateor tamen ab ejus mente, & verò etiam à veritate, sicut eam Augustinus intellexit, esse disjunctissimam. A cujus propalatione quamvis meritò hoc loco temperare possem, ne novas adversus Augustini doctrinam difficultates commovendo quas à nemine Scholasticorum excitatas memini, majorem ei invidiam cecem, ipsius tamen sinceritati veritatis hoc deberi puto, ut sine fuco proferatur. Sicut enim in seipsa semper invicta est, & Augustini doctrinam in hac materia invictam fecit, ita, spero, suâ se ipsius luce invictam esse demonstrabit.

Argumenti igitur, quod ex Augustino proposui, longè alius sensus est, quam quòd peccatum ut peccatum esse possit istâ Philosophicâ libertate debeat saltem in aliud irruendo posse vitari: cujusmodi exercitij libertate peccata dæmonum multi libera esse & vitari posse contendunt. Sed hoc vult Augustinus, ita debere caveri posse peccatum, ut à peccatis abstinendo nullius peccati reus, benè videlicet faciendo, teneatur. Nihil enim omninò curat ad expendendam peccati rationem, utrum unum peccatum alterum incurrendo caveri possit, unaque cupiditas peccandi alterâ cupiditate superari: sed utrum peccatum ita fiat necessariò, ut quoquò se homo ante gratiam flexerit, peccatum aliquod in genere, sive hoc, sive istud, incurrat, quâcunque tandem remanente peccatorum eligendorum indifferentia. Quem esse verum istius objecti argumenti sensum, ex genuina ejus solutione quam daturi sumus elucescet. Sed in isto sensu difficultas nos vehementer premit. Si enim ad peccatum

tum ex Augustini mente necessarium est, ut non modo malum aliud faciendo, sed vitam, benè faciendo, omnemque peccati maculam evitando, cavere possit, profectò falsum erit, quod hactenus ex Augustino diximus, adhærere nobis ante Christi gratiam peccandi necessitatem & non esse nobis liberum à peccatis abstinere. Hoc ipso quippe desinerent esse peccata: jam enim supponitur ea ante gratiam esse necessaria, nec abstineri ab eis posse juxta doctrinam Augustini. Nec minùs falsum erit, quòd aliquando docuit, & omne absque dubitatione verum esse consentiunt, diabolum adhuc mali facere & peccare. Nam ille maxime *non habet arbitrium liberum ad benè faciendum; sed ad maximam malevolentiam pœnâ sui sceleris obduratum.* Epist. 107.

Itaque sciendum est juxta doctrinam sancti Augustini in creatura rationali duplicem statum posse spectari. Primus est naturalis, in quo videlicet natura ab ipso Deo constituitur, prout ab ejus potentia & bonitate conditrice fluit, nullo adhuc omninò creaturæ peccato præcedente, propter quod aliquâ pœnâ, sive in corpore, sive in animo, sive ignorantiæ, sive concupiscentiæ, sive auxilii necessarii denegatione puniretur. Alter est pœnalis, in quem creatura statum naturæ suæ aliquo peccato pervertendo, prolapsa diversis pœnis atteritur, ut vel ignorantiâ veri non videat quid rectè faciendum sit, vel videat quidem, sed concupiscentiæ sævientis difficultate, ut ut quadam naturalis libertatis infirmitate impiere vel non possit vel non lubeat, ac gratia desit quæ videat, possit, ac velit. Primum sensum spectat Augustinus, quando de creatura rationali disputat cum Manichæis: secundum, quando cum Pelagianis. Manichæi quippe considerantes malorum illorum quibus affligimur magnitudinem, & præcipuè ingentem illam benè vivendi infirmitatem, quam ingenita nobis ignorantia & lex peccati parit, omnia peccata nostra naturalia esse statuerunt, hoc est, ex natura malâ nobis concreata, non ex arbitrij libertate proficisci. Pelagiani contrà cùm creaturæ rationalis bonum esse conditorem crederent, & peccati merito mutationem aliquam in ea factam esse non crederent, omnes ejus pœnas & benefaciendi difficultates naturales esse opinati sunt: & consequenter omnia peccata ipsâ liberâ voluntate posse vitari; ne alioquin, si peccata non illa flexibili in utramque partem libertate, sed concreatâ malè faciendi necessitate fierent, ita ut non esset liberum benè facere & à peccato abstinere, peccata quasi *per cannam*, ut Augustinus loquitur, reverterentur in Deum, qui creaturam suam cum ista mali faciendi necessitate condidisset. Et Manichæi igitur & Pelagiani ex eodem principio in diversos errores de libero arbitrio præcipitati sunt. Cùm enim utrique statum illum pœnalem, quem perpetimur, naturalem esse sentirent; Manichæi certissimò scientes eum esse malum, non ausi sunt Deum bonum ejus auctorem facere, sed malum aliquod principium commenti sunt, in quod sicut status ille vitiosus, ita etiam destructo libertatis arbitrio omnia peccata ex ignorantia concupiscentiaque nascentia referrentur. Pelagiani è contrario cùm firmissimè crederent, Deum bonum humanam naturam condidisse, statum illum miserabilem homini naturalem esse finxerunt: & non obstantibus gravissimis pœnis ejus, arbitrium esse potens & liberum ut motibus ejus ingenitis leges ponat. Adversùs Pelagianos igitur originalis peccati labè Augustinus inculcat, qua naturalis illa vitandorum peccatorum possibilitas, libertasque benefaciendi vitiata sit; & in gruentibus ignorantiæ concupiscentiæque pœnis, loco naturalis libertatis ad bonum quæ pollebat, sub malo captivitas, & mali faciendi necessitas ante gratiam adducta sit; quę non nisi per Christi gratiam superari ac tolli potest. Adversus Manichæos verò ad malorum omnium fontem creatæ naturæ libertatem, nulli adhuc supplicio sive pœnalis ignorantiæ sive cruciantis cupiditatis obnoxiam recurrere, magnisque & veris laudibus potestatem ejus depredicare solet: ut ita ostendat, non naturam naturaliter, hoc est, ex creatione sua connaturali esse malam; sed ipsam creaturam bonam sua se vitiantem libertate esse culpandam. Hoc enim sibi volunt illa verba quibus acerrimū illum adversus Manichæos conflictum, de malorum origine in voluntatem liberam, id est, omnis ignorantiæ & difficultatis concupiscentialis expertem referendâ, concludit: *Cum autem de libera voluntate rectè faciendi loquimur, de illa in qua homo factus est loquimur.* Lib. 3. de lib. arb. c. 18.

Quapropter in illis locis ubi Augustinus adversus Manichæos disputando dicit: *Si causæ voluntatis resisti non potest, sine peccato ei cedit. Si caveri omninò non possit* peccati fallacia, *nulla ergò esse peccata. Neminem peccare in eo, quod caveri nullo modo potest. Si necessitate primus homo consensisset, nullo peccati crimine tentum fuisse. Liberum omninò esse à peccato abstinere.* Et peccatum esse debere *voluntarium*, hoc est, liberæ voluntatis, *non necessarium*, ita ut si non fuerit voluntarium, peccatum esse non possit, & hujusmodi, semper de origine mali loquitur, unde omnia mala in creaturam rationalem profluxerunt. Hoc enim non potest esse ex Deo creante, propter bonitatem ejus: Non potest esse quoque ex Deo puniente, propter justitiam ejus. Non enim culpam pœna precedere, sed eam sequi debet. Cùm ergò mali origo, seu primum malum neque natura esse possit, neque pœna, hoc est, neque naturalis neque pœnalis, neque ex toto neque ex parte, necesse est culpam esse creaturæ, & proinde ex liberrima creaturę voluntate, hoc est, ex tali liberæ voluntatis flexibilitate proficisci, ut nulla ignorantiæ vel concupiscentiæ vel alterius cujusquàm impellentis pœnæ necessitate cogatur in malum, sed solo suo liberrimo in utramvis partem nutu. Hoc ipso namque

namque quo quis contra voluntatis renisum invitus ad malefaciendum cogeretur, uti nunc sæpè cogitur (quam necessitatem libertati oppositam Augustinus vocat) jam non esset primum malum, de quo ex hypothesi quærimus, sed secundum; non origo malorum, sed ex origine jam profectum; non pura culpa, sed simul pœna; non peccatum tantùm, seu strictè dictum, sed peccatum, quod non est etiam pœna peccati. Vt enim non sit supplicium, quòd creatura rationalis benè vivendi ignorantiâ invita turpetur & difficultate crucietur, & inde mala faciat, impossibile est juxta illud Augustini: *Pœnam istam esse quis dubitet? Omnis autem pœna si iusta est, peccati pœna est, & supplicium nominatur. Porrò quia de omnipotentia Dei & iustitia dubitare dementia est, iusta hæc pœna est, & pro peccato aliquo penditur.* Quapropter primum malum quod est origo ceterorũ sicut nihil pœnale, ita nihil omninò inviti sibi adjunctum habere potest. Cùm enim potiùs patiendo, quàm faciendo simus inviti, vel justè vel injustè patietur, quisquis invitus aliquid patitur: *Si iustè patitur*, inquit Augustinus, *non in eo peccat quod patitur invitus, sed in eo peccavit, quod ita fecit volens, ut quod nollet iure pateretur. Si autem iniustè patitur, quomodo peccat? Non enim iniustè aliquid pati, sed iniustè aliquid facere peccatum est.* Quapropter rectissimè & profundissimè docet Augustinus contra Manichæos, mali originem, hoc est, id quod peccatum tantùm est debere esse purissimè voluntarium, nullo modo necessarium, hoc est, ex liberrima indifferentissimaque ad bonum & malum voluntate committi, ex nulla naturæ peccantis ignorantiâ, nulla cupiditate, nulla coactione, quæ invitum adigat ad aliquid faciendum, posse proficisci. Hoc ipso quippe desineret purum peccatum esse, de quo quæritur; essetque vel pœna peccati, vel peccatum pœnæ mixtum: quod impossibile est esse primum & originem ceterorum. Hinc consequenter necesse est, purum peccatum vitatu esse facillimum, esse liberrimum ab eo abstinere, solu videlicet nutu voluntatis, qui non solùm ad aliud malum, sed ad bonum quoque sine ulla omninò difficultate flecti potest. Nam hoc ipso quo difficultas volentem resistendo cruciaret, non haberemus jam peccatum illud quod quærimus contra Manichęos, pureque tantummodo peccatum esse debet; sed pœnam, quæ aliud purè peccatum præcessisse convinceret. Sed ex alia quoque profunda radice nascitur, quòd peccatum simpliciter, seu peccatum tantùm, quod est causa ceterorum, ita liberum esse debet, ut nisi non tantùm aliud malum, sed etiam bonum oppositum faciendo caveri possit, ne peccatum quidem esse possit. Cujus rei ratio est, non quod actus iste non esset satis liber, eâ etiam libertate, quam Scholastici ad liberum arbitrium postulant. Esset enim liber libertate contradictionis, & exercitij, perinde in faciendo aliud malum, sicut actus beatorum in faciendo aliud bonum. Sed causa est, quòd actus hujusmodi cum quantacunque contradictionis seu exercitij libertate fieret, malus esse non posset. Esset enim connaturalis institutioni naturæ, utpote per quem hoc appeteretur, quod inclinatio naturaliter à Creatore inserta postularet. Si enim illa naturaliter talis est, ut creatura quicquid secundùm illam fecerit, malum faciat, hoc ipso jam non est malum, sed bonum. Non enim potest non esse bonum id quod conforme est institutioni naturæ bonæ: cùm malum in recessu à naturæ institutione & ab instituentis arte perpetretur. Tangit hanc radicem multis in locis Augustinus contra Manichęos: *Quid, quòd etiam in ipsis rebus quæ vituperantur nullus vituperatur nisi vitium? nullius autem vituperatur vitium, nisi cuius natura laudatur. Aut enim secundùm naturam est quod vituperas, & non est vitium, tuque magis emendandus es, ut rectè vituperare noveris, quàm illud quod non rectè vituperas: aut si vitium est, ut rectè vituperari possit, etiam contra naturam sit, necesse est. Omne quippe vitium, eo ipso quo vitium est, contra naturam est.* Et infrà: *Si hoc debet quisque quod accepit, & sic homo factus est, ut necessariò peccet, hoc debet ut peccet. Cùm ergo peccat, quod debet facit. Quod si scelus est dicere, neminem natura sua cogit ut peccet.* Et rursum: *Quod si neque suâ neque alienâ naturâ quis peccare cogitur, restat ut propriâ voluntate (illa scilicet liberrima omnisq; coactionis experte) peccetur. Quod si tribuere voluerit conditori, peccantem purgabit, qui nihil præter sui conditoris institutum commisit.* Nam ut addit, *peccata tunc fiunt, cùm ab eius veritate*, hoc est, arte qua facta est creatura, *receditur.* Hanc ergò causam passim respicit contra Manichæos existimantes illum statum in quo jam sumus ante gratiam cum ignorantia, & concupiscentia, peccandiq; necessitate, esse naturalem; quos inde refutat quia non essent jam peccata, si ex tali naturæ institutione sequerentur. Vnde Iuliano objiciente, quòd homines *nulla culpa suâ mali essent, & ideò nec mali essent*, si sic diabolo creante nati essent: *quia esse quisquam nisi quod natus est non potest; nec ab eo iustum est aliquid amplius flagitare quàm potest.* Respondet Augustinus: *Solemus & nos adversus Manichæos ista dicere, qui non vitiatam bonam dicunt esse naturam, sed sine vitio & immutabiliter malam, quam secundùm suæ fabulas opinantur malam.* Quæ responsio longè majori ratione locum habet, si homines cum illa peccandi necessitate, quam supplicia nobis nostra pepererunt, Deo bono creante nasceremur. Qua de re quia ex professo alibi disserendum erit, istis testimonijs hic contenti erimus.

Neutra porrò ratio in ceteris peccatis primum illud consequentibus locum habet, ut propterea quoq; possint sine voluntate illa libera ad bonum & malum, sed captiva sub malo voluntate, hoc est, pura peccandi necessitate committi. Non quidem prima ratio, quia talia peccata sunt supplicium præcedentis, quod liberrima voluntate perpetratum fuit. Supplicium autem hoc ipso quo suppli-

*Vide infrà lib. 2. de statu puræ naturæ c. 18.*

*Lib. 3. de lib. arb. c. 18.*

*Ibid. c. 16.*

*Lib. 3. de lib. arb. c. 13.*

*Cap. 16.*

*Ibid.*

*Lib. 3. cont. Iul. c. 12.*

*Vide infrà lib. 2. de statu puræ naturæ c. 15.*

ſupplicium eſt, contra voluntatem eſt, & invitum facit. In hoc enim ipſo culpa & pœna differunt, quòd illa ut talis ſit, voluntaria, iſta involuntaria. Ex quo fit, ut hæc peccata conſequentia invita voluntate, hoc eſt, generali peccãdi neceſſitate committi poſſint iſta non poſſint. Talis enim peccandi neceſſitas, quæ etiam diſplicentem ſibi ac renitentem animum ad ſequentia peccata trahit, non eſt aliud, quàm generalis quædam & cœca rei terrenæ, ad quam peccando ſe convertit, concupiſcentia, quæ inſtar generalis conſuetudinis peccantium animum excœcat & premit. Vnde Auguſtinus: *Ipſa diſſipatio me invito quidem fiebat, nec tamen offendebat naturam mentis alienæ, ſed pœnam meæ. Et ideo iam non ego operabar illam, ſed quod habitabat in me peccatum* (id eſt, lex peccati ſeu concupiſcentia) *de ſupplicio liberioris peccati, quia eram filius Adam.* Et paulò ante: *Lex peccati eſt violentia conſuetudinis, qua trahitur & tenetur etiam invitus animus, eo merito, quo in eam volens illabitur.* Itaque de ſeipſo: *Conſuetudo adverſus me pugnatior ex me facta erat, quoniam volens quò nollem perveneram. Et quis iurè contradiceret, cùm peccantem iuſta pœna ſequeretur?* Cujus pœnæ juſtitiam alibi tangens: *Illa eſt enim peccati pœna iuſtiſſima, ut amittat unuſquiſque quo benè uti noluit, cùm ſine ulla poſſet deſficultate, ſi vellet. Id eſt autem, ut qui ſciens rectè non facit, amittat ſcire quid rectum ſit; & qui rectè facere cùm poſſet noluit, amittat poſſe cùm velit.* Ecce videndi præcepti cœcitas, ecce rectè faciendi impotentia, *qua videat quid rectè faciendum ſit, & velit, nec poſſit implere*, juſtiſſima peccati pœna ſunt, nec aliud ſunt, niſi illa peccandi neceſſitas, ex qua neceſſariò generali quàdam neceſſitate ante gratiam peccata perpetrantur. *Nam ſunt revera omni peccanti animæ duo iſta pœnalia, ignorantia, & difficultas. Ex ignorantia deboneſtat error, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falſa pro veris, ut erret invitus, & reſiſtente atque torquente dolore carnalis vinculi, non poſſe a libidinoſis operibus temperare* (id eſt, à peccando abſtinere) *nõ eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati.*

Ex quibus poſtremis verbis etiam liquet ſecundam illam rationem non habere in peccatis conſequentibus locum, ut videlicet, quia jam explicatâ neceſſitate neceſſariò fiunt, & animus ab eis temperare non poteſt, etiam peccata eſſe deſinant. Nam talis animi ſtatus non eſt naturalis, quaſi ex naturæ inſtitutione, prout eam Creator condidit, & ex artis creatricis regulis profluxiſſet. Sic enim revera nec cœcitas illa cernendæ veritatis, nec imbecillitas faciendæ honeſtatis vitium eſſet, neque peccata quæ ex eis gignerentur, peccata; ſed opera naturæ bona nominanda. Præclariſſimè namque de illo ſtatu, in quo ſumus, & de factis inde germinantibus Auguſtinus dicit: *Si non eſt iſta pœna hominis, ſed natura, nulla iſta peccata ſunt. Si enim non recedatur ab eo modo, quo naturaliter factus eſt, ita ut meliùs eſſe non poſſit, ea quæ debet facit, cùm hæc facit. Si autem bonus homo eſſet, aliter eſſet. Nunc autem quia ita eſt, non eſt bonus, nec habet in poteſtate ut bonus ſit, ſive non videndo qualis eſſe debeat, ſive videndo, & non valendo eſſe, qualem debere eſſe ſe videt. Pœnam iſtam eſſe quis dubitet?* Status igitur iſte, in quo non libertate faciendi boni, ſed neceſſitate faciendi mali peccata perpetrantur, pœnalis eſt, de ſupplicio peccati liberioris impoſitus. Vnde peccata quæ inde fluunt, non propterea peccata eſſe deſinunt, quòd ab eis animus libertate faciendi oppoſiti boni abſtinere non poſſit. Non enim ſic factus eſt homo, ut iſtiuſmodi defectus neceſſariò committeret: unde nec dici poteſt, quòd nihil præter ſui conditoris inſtituta committat. Iam enim per primum illud peccatum receſſum eſt ab illo modo, quo naturaliter à conditore factus erat: ex quo fit, ut etiam facta ex illius ſtatus neceſſitate pullulantia, tanquam contra cõſtitutionem naturæ facta, vitia peccataque dici debeant; quantumvis ab eis in genere, ſupplicij ſui neceſſitate abſtinere non poſſit. Vera igitur peccata ſunt, quamvis longè minora, multoque minùs voluntaria; minùſque libera, magiſque neceſſaria, quàm illud primum, ex cujus vindicta committuntur. Hinc Auguſtinus: *Illud quòd ignorans quiſque non rectè facit, & quod rectè volens facere, non poteſt, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt. Illud enim præcedens meruit iſta ſequentia. Nam ſicut linguam dicimus non ſolum membrum, quod movemus in ore dum loquimur, ſed etiam illud, quod huius membri motum conſequitur, id eſt, formam tenoremq; verborum; ſecundùm quem modum dicitur alia lingua Græca, alia Latina: ſic non ſolum peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, liberâ enim voluntate & ab ſciente committitur: ſed etiam illud, quod iam de huius ſupplicio conſequatur, neceſſe eſt*: In quibus verbis ſatagit Aug. ut oſtendat, quomodo ea peccata à quibus homo ſeu ignorando, ſeu facere non valendo quod faciendũ videt, abſtinere non poteſt, vera peccata nominentur. Reddit autem rationẽ, non quia ſunt volũtatis liberæ: hoc enim falſum eſſe jam conſtituerat: ſed quia de *peccato liberæ voluntatis originem ducunt*; hoc eſt, quia fuerunt voluntatis liberæ in cauſa ſua, quæ pœnam illam cœcitatis & imbecillitatis accerſijt. Quæ verba non de illa libertate voluntatis, quam Scholaſtici ſtatuunt, intelligi debent, quaſi vellet iſta pœnalia lapſorum hominum peccata non eſſe libertate contradictionis ſeu exercitij libera, ita ut hîc & nunc ab eis abſtinere non poſſit, & alia peccata facere; ſed non eſſe libera eâ libertate, quam ipſe, & Scriptura, & Eccleſia plerumque libertatem nuncupat, libertate ſcilicet voluntatis ab omni peccati ſeu concupiſcentiæ ſervitute liberatæ, quæ ſe non tantùm ſervili quàdam libertate in peccatis diverſis eligendis volvere & revolvere; ſed expeditiſſimè & indifferentiſſimè ſimplici nutu ſuo, non tantùm ad quodvis malum, ſed etiam ad bonum oppoſitum, ſe flectere poteſt: hoc eſt, ut Scholaſticis planiùs loquar,

Lib. 8. Confeſſ. cap. 10.

Cap. 5.

Lib. 3. de lib. arbit. cap. 18.

Ibidem.

Ibidem.

Ibid. c. 18.

Lib. 3. libero arb. cap. 3.

quar, quæ utramvis, non tantùm contradictionis & exercitij, sed etiam contrarietatis partem, habet in sua liberrima potestate. Talis enim voluntas proprijssimè volũtas est, non cupiditas: talis libertas voluntatis proprijssimè libertas est, sine umbra oppositæ servitutis: talis voluntatis liberæ peccatum proprijssimè peccatum est; quia tantùm culpa est, nihil pœnæ permixtum habens. Quidquid à talis voluntatis, & libertatis, & peccati definitione deficit, sicut minùs est voluntarium, quia aliquid inviti; sicut minùs est liberum, quia aliquid servitutis peccati; sicut minùs culpabile, quia aliquid pœnale continet: ita etiam minùs propriè peccatum est, juxta Augustini definitionem, quam ipse dedit, & sæpissimè explicuit. Idcirco tamen peccatum dicitur (quod propriè hoc sensu liberrimum illum à veritate defectum sonat) quia à peccato illo primo liberæ volũtatis originem ducit.

Quapropter quia neutra jam assignata ratio locum habet in posterioribus lapsorum hominum peccatis, quæ ante gratiam, peccandi necessitate sine boni faciẽdi libertate, cõmittuntur, quia status ille totus jam pœnalis, non naturalis est; hinc est, quòd Pelagianos illam liberrimam voluntatis potestatem ad utrumque velut necessariam mordicus postulantes, ut peccatum esse possit, eâ responsione retundere solet, quòd aliter condita natura fuerit bona, liberrima, pœnis peccandi carens; quòd illa libertas boni peccato liberrimò perierit; quòd mali necessitas consecuta sit. Itaque cùm rectè adversùs Manichæos urgeri concessisset Iuliano, quod injustum esset ab homine ampliùs postulare quàm potest, ut suprà diximus, statim ad retundendos Pelagianos adjicit: *Natura vero humana secundùm Catholicam fidem bona instituta, sed vitiata peccato, merito q; damnata est.* Quasi diceret, itaque nihil mirum, si ampliùs ab ea quàm suâ culpâ jam imbecillior facta possit, exigatur. Et alibi Pelagio dicente: *Quod Deus talem hominem fecerit, qui peccati malo carere sufficeret, si voluisset; Respondet: Quis enim nescit sanum & inculpabilem factum, & arbitrio libero, atque ad iuste vivendum, potestate libera constitutum? Sed nunc de illo agitur, quem semi-vivum latrones reliquerũt &c.* Quasi diceret, proinde mirari non debes, si nunc homo lapsus careat potestate liberâ; vel si peccata benefaciendo vitare non possit, antequam per gratiam liberetur; & tamen peccata ejus vera peccata sint. Cogitare quippe debet, *prævaricatorem legis quàm dignè lux deserat veritatis; quæ desertus iniquè sit cœcus, & plùs necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusq; non surgat; ut ideò tantùm audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris.*

Lib. 1. contra Iul. c. 12.

Lib. de nat. & grat. c. 43.

Ibid. c. 22.

## CAPVT XXIII.

### Quomodo secundùm Augustinum omnia omninò peccata etiam pœnalia vitari possint sine præjudicio præcedentis doctrinæ de necessitate peccandi, & sublatâ libertate benefaciendi.

AT enim, inquies, Augustinus nõ tantùm peccata proprijssimè dicta, hoc est, liberrimæ & indifferẽtis in utrumvis contrarium voluntatis docet posse vitari, sed etiam ea peccata quæ ex pœnis illis ignorantiæ & concupiscentiæ perpetrantur. Cùm enim dicit in libro de natura & gratia: *Potest plane ei causa, quæcunque illa est, resisti*, de illis ipsis pœnalibus peccati causis loquitur, & earum peccata vitari posse ibidem expressiùs docet. Et cùm in libro de perfectione justitiæ sæpiùs dicit; *vitari posse peccatum*, de peccatis lapsorum hominum pœnè solis loquitur. Et cùm in libro de gratia & libero arbitrio neminem nescire dicit, quòd *non iuberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri*, de peccatis loquitur quibuscunque, quæ vitari divinâ lege jubẽtur. Ergo omnia omninò peccata vitari posse debent, non solùm juxta sensum Scholasticorũ libertate saltem exercitij & contradictionis, quæ ad libertatem arbitrij sufficit, sed etiam juxta sensum Augustini libertate contrarietatis, ita ut possit fieri oppositum bonum. Nam in libro de perfectione justitiæ de omnibus omninò peccatis hujus vitæ collectim simul vitandis agitur; ita videlicet ut aliquis dicatur hic post lapsum in perfectione justitiæ, hoc est, sine omni omninò peccato vivere: quod cùm cõtenderet Pelagius fieri in hac vita posse, Augustinus admittit.

Cap. 67.

Cap. 2. & sæp.

Cap. 16.

Respondetur, negari non posse, quin ista sit Augustini doctrina constantissima: sed non repugnat alteri, qua juxta eundem Augustinum certissimum esse demonstravimus, generali quâdam peccandi necessitate multa peccata perpetrari, ita scilicet ut vitari benè faciendo non possint. Nam ista doctrina vera est antequam voluntas sub peccato captiva per gratiam Christi ab illa concupiscentiæ servitute liberetur. Quæ liberatio à fide incipit: Nam à fide bona voluntas incipit; sine qua bonum fieri peccatumque vitari nullo pacto potest. Qua de causa, quando de peccandi necessitate, & amissa boni faciendi libertate tractavimus, semper de infidelibus, nullaque Christi gratiâ præventis locuti sumus. Altera verò doctrina, quæ in objectione tangitur, de jam fidelibus loquitur quorum voluntas jam gratiâ tangi, liberari, & regi cœpit, majoremque

remq; liberationem & gratiæ adjutorium contra peccati pœnas per fidem impetrare potest. Nulla enim peccati captivitas tam arcta est, quæ non, cùm Deo visum fuerit, gratiæ libertate solvatur: nulla pœnarum tanta tyrannis in voluntatem, quæ non gratiâ regnante destruatur. Cum ista igitur gratia omne peccatum à fidelibus caveri, bonumque fieri potest: sine ista gratia neque peccata ab infidelibus caveri, neque bonum fieri potest. Istum esse verum genuinumque istius doctrinæ sensum, quæ objicitur, ex ijsdem illis locis, unde petitur, manifestum est. Nam ita loquitur in loco libri de natura & gratia: *Potest ergo ei causa, quæcunque illa est, resisti? Potest plane.* Sed audi, per quid: *Nam in hoc adiutorium postulamus dicentes: Ne nos inferas in tentationem: quod adiutorium non posceremus, si resisti nullo modo posse crederemus. Potest peccatũ caveri; sed opitulante illo, qui non potest falli. Duobus enim modis etiam in corpore cavetur morbi malũ, & ut non accidat, ut & si acciderit citò sanetur. Vt nõ accidat caveamus, dicendo: Ne nos inferas in tentationem. Vt citò sanetur caveamus, dicendo: Dimitte nobis debita nostra. Sive ergo imminent, sive insit, caveri potest,* nempe per gratiæ sive adjuvantis sive remittentis adjutorium. Imo cùm toto libro sæpiùs admittat contra Pelagium, hominem peccata vitare, imo sine peccato esse posse, tandem dicit: *Hoc unde sit possibile, confiteatur, & pax est: ipsa est enim gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et in loco libri citato de perfectione justitiæ, idem luculentissimè docet. Nam ad primam ratiocinationem ita respondet: *Respondemus, vitari posse peccatum, si natura vitiata sanetur gratiâ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. In tantum enim sana non est, in quantum id quod faciendum est, aut cœcitate non videt, aut infirmitate non lubet.* Et ad ratiocinationem quartam respondet apta similitudine, quòd sicut *vitare non potest homo claudicationem, nisi habeat sanatum pedem: ita etiam in interiore homine fieri potest; sed gratiâ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Quam clarius explicans ratiocinatione quintâ: *Respondetur,* inquit, *eâdem similitudine, quâ superius iam respondimus. Cùm enim videmus claudum qui sanari potest, rectè utique dicimus, debet homo iste esse sine claudicatione, & si debet, potest: Nec tamen cùm vult continuò potest; sed cùm fuerit adhibitâ curatione sanatus, & medicina adiuverit voluntatem. Hoc fit in interiore homine quòd ad peccatum attinet, tanquam ad eius claudicationem, per eius gratiam, qui venit &c.* Et rursum ratiocinatione decima-quarta: *Respondemus & naturam hominis bonam esse, & eam malo carere posse. Nam ideo clamamus: Libera nos à malo: sed: sed hoc agitur gratiâ per fidem &c. Quoniam lex prohibendo auget peccati cupiditatem, nisi diffundat Spiritus charitatem.*

Lib. de nat. & grat. c. 67.

Cap. 49.

Lib. de perf. iust. cap. 2.

Cap. 3.

Cap. 6.

Quæ doctrina non solùm in isto libro sæpiùs repetitur, sed in omnibus Augustini scriptis adversùs Pelagianos frequentissima est. Sed ex illis paucis locis, quæ citavimus, utraque pars datæ distinctionis liquet. Non enim solùm in ijs docet omnia peccata gratiâ sanante per fidem posse vitari, sed etiam sine illâ, sive cœcitate tegente veritatem, sive concupiscentiâ stimulante deprimenteque voluntatem, sive etiam ipsâ lege peccandi desiderium acriùs inflammante, non posse vitari. Et utramque partem adhuc uberiùs alibi declarans: *Per arbitrij libertatem,* inquit, *factum est, ut esset homo cum peccato: sed iam pœnalis vitiositas subsecuta ex libertate fecit necessitatem.* Nimirum antequam natura vitiata per fidem liberetur. *Vnde ad Deum fides clamat: De necessitatibus meis educ me: sub quibus positi vel non possumus quod volumus intelligere, vel quod intellexerimus volumus, nec valemus implere &c. Victa enim vitio, in quod cecidit voluntate, caruit libertate natura.* Et brevissimis prægnantissimisque verbis utramque partem exprimens paulò pòst: *Peccatum est,* inquit, *vel cùm non est charitas, quæ esse debet* (id est, cùm non diligitur finis ille omnis actionis Deus, qui diligi debet) *vel minor est, quam esse debet:* ut verbi gratiâ, quia non superat adhuc omnia, quæ se offerunt repugnantia; *sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit. Quia si potest, præsens voluntas hoc facit; si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit: & tamen vitari potest, non quando voluntas superba laudatur, sed quando humilis adiuvatur.*

Cap. 4.

Vide Lib. 1. de pec. Christ. & nat. cap. 13.

Lib. 1. de nup. & concup.

Video quid alicui maximè in recentiorum scholis instituto occurrere possit & soleat. Cogitabit enim statim in nemine omninò esse illam peccandi necessitatem, sive istâ amissam boni faciendi libertatem, quam ex Augustino prædicamus. Nam intuitu Christi Redemptoris omnibus omninò hominibus, non solùm fidelibus, de quibus hoc certum credunt, sed etiam infidelibus illa statim datur gratia, qua possunt singula peccata devitare, non solùm ab illo abstinendo, & aliud faciendo minus malum, sicut Augustinus admittit, sed etiam faciendo bonũ, si non veræ pietatis, certè moralis honestatis. Sed adversùs istam imaginationem satis hoc loco esse debent, quæ supra tam fusè de operibus infidelium ex Augustino diximus. Inferiùs verò ex eodem latiùs demonstraturi sumus, nullam omninò Christi gratiam infidelibus ad bonum operandum dari: sed illam incipere à fide Christi, quâ solâ potest voluntas operandi prava mutari. Quam doctrinam tanquam ex Augustini scriptis, & in Ecclesiæ sensu indubitatam hîc supponentes, & alibi asserentes, ad alias objectiones perrecturi sumus. Hic enim satis est ostendisse, infideles ex illa hypothesi, sublatæ scilicet liberatricis gratiæ, non aliter peccata posse, nisi alia peccata perpetrando vitare, juxta illud Augustini de infidelibus pudicè viventibus: *Non peccata coërcentur, sed alijs peccatis alia peccata vincuntur.*

Lib. 1. de nup. & conc.

Quòd si tamen aliquo sensu & illos peccata benefaciendo vitare posse velis, hoc potestate extrinsecus sibi à Deo conferenda dici potest, eo videlicet modo, quo dicuntur etiam infideles in summa viventes Dei & Christi

Christi ignorantia, in Christum posse credere, Deum diligere, rectè vivere, atque felicitate potiri sempiterna. Hæc enim vera sunt, & nonnunquam ab Augustino concedunturt, sed potestate externâ, non internâ, quia à Dei gratia fidem donante visitari possunt, qui nondum visitati sunt, qua quamdiu carēt, ex se nihil aliud nisi peccare possunt. Talis enim potestas peccata vitandi cum præsenti peccandi necessitate facilè consistere potest: sicut in claudo potest consistere potestas rectè ambulandi, quia medici arte sanari potest, cum necessitate claudicandi, quamdiu medicinâ caret.

## CAPVT XXVIII.

### Ratio præcepti, cohortationis, objurgationis, vituperationis &c. non obstat peccandi necessitati juxta Scholasticorum sensum, minùs juxta doctrinam Augustini.

ALIUD argumentum peti potest ex ratione præcepti, cohortationis, objurgationis, atque vituperationis. Si enim aliquod hominum genus aut status, sublata benè faciendi libertate peccandi necessitate premitur, frustra jubemus & hortamur eos à peccatis abstinere: immerito objurgamus & vituperamus eos, si non abstinuerint. Sed ex disciplinæ Christianæ regula certum est, stimulos istos rectè cuivis hominum generi admoveri: falsum est igitur, quemquam vel ante vel post fidem peccandi necessitate detineri.

Respondetur, adversùs Manichæos hoc argumentum frequenter Augustinus premit. Conficit enim invictissimè, esse in omnibus hominibus liberum voluntatis arbitrium, & nihil amplius. Peccandi verò necessitas, quam Augustinus tradit, sublataque libertas benè faciendi, non repugnat arbitrij libertati, quia simul utramque Augustinus in iisdem hominibus esse docet. Sed in eo tota hallucinatio sita est, quòd cùm audimus liberum voluntatis arbitrium, solemus imaginari indifferentiam quandam voluntatis ad bonum & malum quam semper hominibus adesse mordicus asserebat Iulianus, inficiabatur Augustinus, & ipsa veritas Catholicos inficiari cogit. Hæc imbecillitas imaginandi in Catholicis & sentiendi in Pelagianis ex Philosophorum Gentilium institutione nata est. Illi quippe cùm nihil aliud ad opus bonum liberæ voluntatis necessarium esse crederent, nisi ut officium esset bonum, & hoc per seipsum expetendo quæreretur, congruenter illi principio censuerunt, arbitrium hominis esse liberum ad bonum & malum. Animadvertebant enim, hominē sese ad hujusmodi officia bona, & ea quæ illis opponuntur mala, indifferenter flectere. In quo statu tanquam hominis naturali à Gentilibus decantato cùm Pelagiani naturam humanam conditā esse sentirent, nec eum peccatis tolli cernerent, libertatem arbitrij ad bonum & malum, ab eadem natura hominis inseparabilem esse statuerunt. A quorum sensu propè absunt, qui illam indifferentiam contrarietatis ita amplexantur, ut eam etiam in dæmonibus quærant. Quod si vel Pelagiani vel Gentiles existimare potuissent, se etiam tum cùm benè videntur agere, & officia propter seipsa virtutis expetere, servire creaturæ potiùs quam Creatori, & consequenter se subtiliore quâdam rei terrenæ libidine seu cupiditate ad agendum officium bonum rapi, quod propter solum Deum omnis rectæ voluntatis terminum expetere debuissent, non ita difficulter vidissent, se etiam tunc non indifferente arbitrio virtutibus militare; sed rerum creatarum concupiscentiæ, quod Apostolus peccatum vocat, captiva voluntate servire. Ex quo fit, ut istiusmodi libertas arbitrij, quam Philosophi bilancis instar indifferentem ad malum & bonum, quod ipsi noverant, fabricarunt, & ex ipsis Pelagiani, & nonnulli Scholastici minùs attenti ad ea quæ docuit August. amplexi sunt, non sit aliud quam illa peccandi necessitas, de qua hactenus discrimus.

Cùm igitur non solùm Augustinus, sed & Scholastici fateri cogantur, illam indifferentiam ad bonum & malum non esse ad liberum arbitrium necessariam, coguntur & ipsi hujusmodi argumentum solvere. Quid si enim quispiam de dæmonibus hoc argumentum proferat? Eadem profectò difficultate se promi sentient, quotquot eos *non habere liberum arbitrium ad benè faciendum*, sed ad *maximam malevolentiam pœnæ sui sceleris obduratum*, cum Augustino constituerint. Nam & eos lex æterna non blasphemandum, non superbiendum, non invidendum, non fallendos homines infatigabiliter jubet, & eos contra legem istam peccare, nemo sanæ mentis diffitari potest. Nam quamvis novarum pœnarum demeritum ratio & stabilitas illius status impediat, eos tamen vere peccare, & malè facere, sæpiùs Augustinus, & ipsa veritas clamat. Sicut igitur præcepti ratio non removet à dæmonibus peccandi necessitatem, neque tribuit eis indifferentiam ad bonum & malum; ita neque hominibus, qui peccatorum concupiscentijs captivo voluntatis arbitrio serviunt.

Epist. 137.

Quod si ad bonos Angelos nos convertamus, eadem omnino se difficultas offeret. Si enim ad malè faciendum seu ad peccandum illa indifferentia voluntatis exigitur, profectò exigitur etiam ad benè faciendum. Peccati enim & operis boni, quantum ad veritum & præceptum, dehortationē & exhortationem, vituperiū & lau-

& laudem, ipsamque adeo arbitrij libertatem attinet, par est ratio. Videmus autem etiam Angelis bonis vetari malefacta, & benefacta nonnulla præcipi, cùm tamen & his abstineant, & illa faciant liberâ voluntate. Certum est enim Angelos peccare non posse, & eo non obstante benè facere: quid igitur mirum, si etiam dæmones benè operari non possint, & tamen liberâ voluntate malè faciant? Nimirum in utrisque quamvis voluntas sive sub malo tantùm, sive sub bono tantùm captiva teneatur, sufficiens libertas voluntatis permanet, ut quoquò hîc & nunc se verterint, eò se vertere actu libero censeantur. Hanc Scholastici libertatem contradictionis seu exercitij nuncupant, quam etiam in captiva sub alterutra contrarietatis parte, præsertim boni operis in cælo, superesse profitentur. Et quamvis Augustinus, nec illam quidem postulet, ut arbitrium dicatur liberum, non tamen eam in peccatoribus negat, & ad libertatem arbitrij satis esse etiam in Augustini sententia, manifestum est. Vbicunque est autem libertas arbitrij, ibi præceptum, & exhortationem, & vituperium, & laudem, locum habere posse, non est dubium. Nam ista omnia in arbitrij libertate velut omnis præcepti cohortationis, objurgationis, laudis, vituperij cardine, seu velut in omnis moralitatis fundamento versantur.

Porro hæc libertas arbitrij, etiam sub confusa illa necessitate peccandi, satis in præceptis negativis adimplendis etiam juxta Scholasticos manifesta est, prout jam paulò ante & supra latiùs explicuimus, quando unam peccandi cupiditatem alterâ superari & vitari posse constituimus: & ita nullum malum esse vetitum, quod non possit peccator ac dæmon ipse prætermittere. Sed major in affirmativis præceptis adimplendis difficultas est. Cùm enim libertate boni faciendi infideles careant, quo pacto evitabunt peccatum illud, quod committitur in transgressione seu omissione, non dico moralium officiorum, miserendi pauperis, honorandi parentes, dicendi veritatem, & hujusmodi naturalium præceptorum, quæ secundùm officia seu substantiam operis ab infidelibus fieri posse juxta sanctum Augustinum diximus; sed in transgressione illius præcepti affirmativi, quo jubetur credere ac diligere Deum, ipsaque officia bona quæ facit ad finem illum bonæ fidei intentione retorquere? Neque enim hîc dici potest, illud peccatum alio peccato posse vitari. Quidquid enim boni fecerit idem peccatum omissionis adversus idem præceptum perpetrabitur. Imo verò, quid faciet, cùm idem præceptum diligendi Dei per seipsum obligabit? Neque enim existimandum est, ad ultimum finem expetendum, & ad illud primum principium se referendum nullius præcepti vinculo creaturam rationalem astringi; cum potiùs vis ejus sit perpetua, & in omnes actus directione atque dilectione voluntatis eò referendos exseratur. Hîc voluntas suaptè infirmitate in faciendo deficit: gratiâ quâ facere possit caret: quò se verterit? Nam & gratiam implorare non potest, nisi ante credat: *Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt?* Hoc laqueo stringi se sentientes recentiores aliqui, per portam patentissimam gratiæ sufficientis exeunt: quam omnibus hominibus ad præcepta facienda Deum impertiri, novo profectò & primis gratiæ defensoribus inaudito dogmate constituunt. Sed de gratia sufficiente differendi proprius erit alibi locus. Rom. 10.

Nunc ea prætermissa dicimus, fortasse & hîc dici posse, quòd omnis singularis actus aut omissio ejus in ipso articulo quo quodlibet præceptum affirmativum ligat, quantum ad exercitium liber sit, quamvis quantum ad specificationem seu contrarietatem non sit liber, prout Scholastici de libertate loqui solent. Cujus ratio esse posset, quòd non minùs omissio voluntatis voluntaria, seu cum perfecta rationis advertentia propter finem fiat, quàm actio ejus. Vtrique enim ultimus amoris cardo, in quo cor vertitur, dominatur, & ejus boni colore, quem oculus sive agendum, sive non agendum, sive volendum, sive non volendum videat atque judicet, utraque tingitur. Impossibile est enim, ut voluntas ultimi sui finis, qui omnis actionis & omissionis deliberatæ radix est, limites egrediatur. Quod in beatis ipsoque Deo perspicuum est. Nam sive agant, sive non agant, sive velint, sive non velint, omnis eorum & actio & non actio, omnis volitio & volitionis omissio, ex summa sapientiæ directione, & finis ultimi consideratione proficiscitur. Quod ex eo manifestum est, quia singulorum actuum & omissionum solidam rationem dare possent: quam dare non possent, nisi illius intuitu ad agendum omittendumque regerentur.

Ex quo fit fortasse, ut in voluntate deliberato consilio aliquid omittente nulla pura sit, aut esse possit omissio: sed semper actus adsit positivus, quo aliquid ex finis consideratione nolit. Quod si ita est, jam non major de tali actu præceptum affirmativum servare detrectante difficultas est, quam de alio quocunque voluntatis actu. Commune quippe omnibus est, ut determinatio seu necessitas specificationis seu contrarietatis non repugnet libertati arbitrij, etiam tali qualem Scholastici tuentur.

Nam isto modo cuncti actus beatorum necessarij sunt. Quicquid enim amant sub ratione boni divini amant: idcirco nihil nisi bonum amare aut facere possunt, sine detrimento tamen libertatis. Nil ergo mirum, si damnata massa sive dæmonum, sive reproborum hominum, quidquid amet sub ratione boni creati & privati amet, & idcirco istâ consideratione omnes actus eorum, quantum ad hujusmodi specificationem seu contrarietatem mali sint; salvâ interim exercitij seu contradi-

contradictionis libertate. Sed ista sententia de conjuncto semper omissioni actu positivo, non est nobis hic necessaria: quia sine illa præsens difficultas expediri potest.

Statuamus igitur dæmonem aut hominem, cui fide caret, præcepto affirmativo Dei & proximi diligendi, vel illa jussione generali stringi, qua bonum officium quod agere meditatur ad Deum velut ultimum creaturæ voluntatisque finem referre coarctatur, ille alterutrum sine gratia facturus est, ut vel Deum diligat, vel non diligat. Si diligit, sub ratione boni privati Deum diliget, Deum ad se, non se ad Deum velut ultimum finem retorquendo: quod sine manifestâ perversitate fieri nequit. Ille quippe modus est, quo omnes cupiditatum sceleratarum servi Deum diligunt, tanquam desideriorum suorum satellitem, eo devotiùs, quo potentiorem. Quod si nolit diligere Deum, hoc ipsum faciet sub ratione B boni creati ac proprij, quod in omnibus actionibus & omissionibus velut vltimum intuetur, & sine peccato esse non potest. Nam nolle, seu respuere, seu prætermittere aliquid tam respicit bonum amatum, quod est omnium desideriorum cardo, quàm velle. Amor enim boni est causa respuendi oppositi mali. Quapropter utrobique est libertas seu indifferentia quantum ad exercitium respectu duorum illorum actuum volendi & nolendi, seu etiam non volendi diligere Deum, quamvis uterque fiat sub ratione boni creati & privati, quod voluntas immobiliter in utroque respicit, & ita uterque sit necessarius, quantum ad specificationem, seu contrarietatem, & uterque malus. Idem judicium est siquis infidelis etiam gratia credendi carens credere jubeatur. Ille quippe vel volet, vel non volet; & in utroque peccabit. Si volet, credet sanè quod veritas revelans credendum jubet, non tamen affectu C voluntatis erga æternam veritatem, sed vel cupiditate boni cujuspiam creati ac temporalis assequendi, vel timore perdendi: si nolit aut non velit credere, hoc ipsum faciet, vel fastidio credulitatis, vel aliâ simili cupiditate, vel timore revocatus. Vbi sanè manifestum est, liberè seu indifferenter huc aut illuc, quantum ad exercitium, volui voluntatem, dum inter duos terminos volendi nolendique, vel volendi, & non volendi constituta alterutrum indifferenter eligit: quo sanè modo & beatus liber est ad quemcunq; actum, vel faciendum vel omittendum. Vtrumvis enim fecerit, sub ratione boni divini faciet: & ita necessariò operabitur quantum ad specificationem, liberè quantum ad exercitium. Simile quid reperitur in illa actione voluntatis, qua malum amare conaretur sub ratione mali: volitio enim & nolitio quam efficeret, esset libera exercitio, specificatione verò contrarietatis necessaria. Si quis ergo tentaret amare mortem sub ratione mali, conatus esset irritus: sequeretur tamen actio voluntatis, qua diligeret mortem; sed sub ratione boni. Et eatenus quidem quantum ad exercitium contradictionemque prorsus libera, quamvis quantum ad specificationem contrarietatemque necessaria. Nulla enim voluntas rationem boni præfixam naturaliter egredi potest: sicut nulla voluntas beata, boni divini; nulla voluntas damnata, boni privati & creati terminos, sive in hoc, sive in futuro seculo, sine gratia præterire potest.

Quæ solutio si cui satis ostendere videatur, nullum omninò dari posse voluntatis actum, sive aliquod præceptum facere velit, sive non velit, quin ad utrumvis sub eadem tamen boni amati & privati consideratione, sit indifferens exercitio, & juxta principia Scholasticorũ sufficienter in præceptis libera, quamvis generali peccandi libertate teneatur; non est quod nos ulteriùs in hac solvenda difficultate fatigemus. Sed, ut verum dicam, quamvis hæc omnia vera esse Augustinus facilè concederet; nunquam tamen ad inveniendam demonstrandamque arbitrij libertatem in peccantibus in has angustias sese conijcit, vel à Pelagianis peccandi necessitatem oppugnantibus coarctatus fuit. Nam sive talis peccandi libertas adsit, sive non adsit, eam Augustinus nihil omninò curat: nec eam unquam, quòd sciam, sub nomine libertatis in omnibus suis scriptis attigit, sive ad bonum sive ad malum; nec unquam protulit, ut se ab invidiosissimo destructæ libertatis ad bonum, invectæque necessitatis peccandi opprobrio tueretur: sed ei abunde satis est, quòd peccator, non quidem primis voluntatis motibus quasi tentationibus, quibus voluntate consentire vel dissentire potest, sed sciens & prudens plenâ voluntate feratur in malum; sive ab ista diligendi mali necessitate se expedire possit, sive non possit. Quæ doctrina ejus istâ basi niti potest, quàm supra generatim de libera voluntate fusiùs declaravimus. Nam talis voluntatis amor, quem voluntas amplius mutare non potest, verbi gratia, quo seipsam in omnibus omninò actionibus perversè diligit, quia se veluti terminum & quietem omnis suæ voluntatis respicit, dicetur esse liber, sicut actus divinæ voluntatis erga creaturas liber est; quamvis immobiliter in æternum diligat, & facere velit, quicquid sibi ab æterno semel statuerit esse diligendum, & faciendum. Mobilitas enim desultoria mutandi voluntatem liberam, fatentibus etiam Scholasticis, non est de ratione libertatis; sed imperfectio ejus imprudentiam aut inconstantiam voluntatis involvens. Cùm ergo similiter voluntas peccantis creaturæ liberrimo semel flexu se auerterit à Deo, divinisque mandatis obedire detrectaverit, quid conquerimur, si in eo quod semel elegerit liberâ voluntate, eadem jam stabilita voluntate perseveret? Quem stabilitatis modum non D solum in illa prima & generali voluntate Angelicæ creaturæ, qua ex Dei amore in amorem sui, seu in privatum amorem lapsa est; sed in omnibus quoque ceteris electionibus Angelicis locum habere, propter naturæ voluntatisque constantiam, nonnulli

non ignobiles auctores docent. Quæ sanè sancti Antistitis doctrina de voluntate necessariò peccante, principijs ejus de libertate infra tradendis conformissima est. Cùm enim nihil aliud ei liberum sit, quàm quod est in nostra potestate, nihil profectò magis in nostra potestate esse potest, quàm quod sit volentibus nobis; & proinde nihil magis liberum. Ex quo satis operosè infra deducemus, omnem deliberatam voluntatem hoc ipso quo est in nostra potestate, hoc est, quo non fit nolentibus sed volentibus nobis, esse liberam & non posse non esse liberam, sive etiam necessariò exercitij necessitate fiat sive non fiat. Quod ex Aug. mente in ipso amore beatifico verum esse latissimè demõstrabitur. Sic ergo & hîc, etiamsi ille perversus amor sui, in quem ex Dei dilectione rationalis creatura lapsa est, & in quo ex justissima Dei damnatione perseverat, & ex quo omnis actus vel omissio damnatæ voluntatis fluit, firmissimè adhæreat voluntati, imò etiamsi non solum specificatione, ut nunc est, sed etiam exercitio, quemadmodum amor beatificus, esset necessarius, non tamen ex Augustini mente desineret esse liber. Nam illa firmitas ex præcedenti & indifferenti electione, qualis est Angelorum, & maximè ipsius Dei ad condendas regendasque creaturas, nata est. Nec est necessitas repugnans voluntati, sed ex vehementia amantis voluntatis oritur: quæ sicut liberè amare aliquid ita & fortiter & constanter amare potest, damnatione vel beatificatione juvante voluntatem. Sic enim utraque voluntatem ad perseverandum juvat, ut non impellat stringatque violentè, sed rationes amandi novas suscitet, antiquas delectabiliùs, clariùs, constantiùsque proponat, subtractis aliud quidlibet amandi rationibus. Nam ut retractet, aut retractare possit, quod semel elegerit, non est de ratione libertatis. Sic ergo fit, ut voluntas infidelis sub damnatione ante gratiam constituta, constanter præcepto credendi, diligendi, vel aliud quid-

*Videndus est totus lib. 6. & 7. de gratia Christi Salvat. qui sunt de nat. & lib. arb.*

libet faciendi parêre nolit; quia constanter in illo sui-ipsius amore, in quem suâ libertate cecidit; ex damnationis suæ pœnâ perseverat. Perabsurdum est enim, amorem illum quo rationalis creatura liberrimè cecidit, hoc ipso quo jam cecidit, eumque justa pœna sequitur, non ampliùs liberum, ac proinde nec malum: quantumvis præ amoris dulcedine in ejusdem etiam exercitio Dei instar permaneret. Omnis enim amor ipso primi actus exercitio fit stabilior & consuetudine amandi magis magisque radicatâ immobilior, non liberæ voluntatis amissione, sed constantia. Qua in re beatitudinis atq; damnationis quoddam præludium, imo principium est. Consuetudo quippe mala malam roborans voluntatem pœna est, damnatioque liberæ voluntatis: sicut bona consuetudo est præmium ejus. Vnde Augustinus se *ligatum* fuisse dicit, *non ferro alieno, sed suâ ferreâ voluntate, velle meum*, inquit, *tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me.* Ortum verò talis necessitatis ex libertate significans: *Quippe*, inquit, *ex voluntate perversâ facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* Est autem absurdissimum dicere, quod peccando aut benè agendo libertas pereat; aut hoc ipso, quo majori in bonum aut malum improbi vel sancti feruntur delectatione, minuatur. Quod optimè intelligens Augustinus, cùm per hujusmodi peccandi necessitatem, quam solâ gratiâ sisti posse sentiebat, libertatem arbitrij sustulisse culparetur: *Liberum*, inquit, *arbitrium usque adeo in peccatore non perijt, ut per illud peccent, maximè omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet, quod eis lubet.* Quod in infidelibus, ac maximè in damnatis locum habet. De qua libertatis intelligentiâ qui plura postulet, consulat ea quæ infra de libertate arbitrij ex Augustini mente declaranda sunt; & ea quæ de gratiæ sufficientis defectu sine prejudicio liberi arbitrij differentur.

*Lib. 8. Confess. cap.*

*Lib. 1. de Bono conj.*

*Videndus & 7. de gratia Christi qui sunt de gratia sufficienti & lib. arb.*

## CAPVT XXV.

### Non repugnat Augustini doctrina propositioni damnatæ per duos Pontifices: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit.*

EX his facile intelligitur, doctrinam istam Augustini non esse comprehensam illâ propositione, quam proscripsit Pius V. & Gregorius XIII. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit.* Necessitas enim peccandi ab Augustino tradita solum est necessitas in genere, ex qua fit ut non possint homines ante gratiam agere nisi malè. Hæc autem non impedit quo minùs in peccatis singularibus perpetrandis liberam & indifferentem ad faciendum & abstinendum habeant voluntatem. Sic enim & dæmones necessariò peccant, quamvis in singulis actibus peccatum non necessitate, sed voluntatis libertate committant, sicut hoc non ignobiles etiam recentiores auctores docent. Nam quod non amplius damnationem graviorem eorum peccata mereantur, statui peccantium, non innocentiæ talium actionum, tribui debet.

*Bellarm. lib. de gratia & libero arbitrio cap. 14.*

Secundò etiamsi Augustinus quædam damnatorum hominum peccata necessariò fieri etiam exercitij necessitate traderet, juxta modum quo capite præcedenti diximus, non vide-

videretur doctrina ista Pontificum illorum censuris esse perstricta. Peccati enim damnabilis ratio; sicut & laudabilis benefacti, ab arbitrij libertate dependet. Iam autem secundùm recentiorum etiam Theologorum sententiam certum est, actum aliquem bonum posse esse liberum, libertate de qua ipsi loquuntur, quamvis ex aliqua suppositione jam fiat necessariò, & voluntas quæ eum producit ab eo producendo abstinere non possit. Sic enim videmus actum divinæ voluntatis ex hypothesi, quòd ad eum se liberè determinaverit, non amplius posse retractari: ex quo fit, ut quicquid ad extra facere reipsa jam ab æterno decreverit & elegerit, necessarium sit ut fiat. Sufficit enim ad ejus libertatem, ut liberrimè se ad eum Deus ab æterno determinaverit, ratione cujus liberrimæ determinationis, semper adhuc actus liber est & semper erit. Hanc electionis liberæ constantiam si creatura rationalis imitetur, ut pari modo immobiliter in amore creatoris vel creaturæ, ad quem sese summâ libertate flexerit, non solùm quantum ad speciem actus, sed etiam quantum ad exercitium perseveret, nihil est cur actus ille non semper dici possit liber eadem libertate, qua ab initio liberæ determinationis liber fuit. Talis enim voluntas juxta principia sancti Augustini, *est in nostra potestate, quia volentibus adest. Porrò quia in potestate est, libera est nobis.* Et quamvis illa exercitij perpetuitas respectu amoris sui in hominibus ante gratiam non habeat locum, quia somno saltem interrumpitur, sed solummodo quantum ad speciem actus: in dæmonibus tamen semper vigilantibus, & in actu constitutis, fortassis locum habet. Quidquid enim agunt illi, qui semper aliquid agunt, hoc agunt ex illo primo amore sui quo ceciderunt, veluti cardine quorumcunque motuum quibus agitantur. Vnde non veretur dicere August. quòd sicut Angeli boni *Deum perpetua iustitiæ tenendæ voluntate promerentur*; ita malos *perpetua peccandi voluptas tenet.* Si ergò necessitas ex hypothesi non repugnat actibus laudabilibus, nec libertati voluntatis, ex qua fluunt; non est ratio cur similis necessitas ex hypothesi damnabilium actuum libertati adversetur. Talis enim necessitas non nisi ex hypothesi præcedentis liberæ determinationis nascitur: nec aliud revera est nisi primæ liberæ voluntatis perpetuitas & immutabilitas; cujusmodi est divinæ, & fortassis Angelicæ voluntatis, quam defæcatior Theologia non solùm origine, ratione primæ determinationis, sed semper etiam actu liberam esse profitetur. Non loquitur ergò illa proscripta propositio de tali necessitate malæ voluntatis ex hypothesi, qualem tamen quantum ad exercitium in hac vita nullam agnoscit Augustinus: sed de necessitate potiùs absoluta, quâ voluntas ad malum appetendum aut agendum, non solùm specificatione, sed etiam exercitio; nulla prævia liberæ determinationis hypothesi, sed absolutè necessitata est. Talis enim voluntas aut actio creaturæ, præterquam quod in Angelis & hominibus nunquam data est, si tamen dari fingeretur, non in ea peccaretur damnabiliter, sed potiùs laudabiliter ageretur. Talis enim necessitatis determinatio institutionem naturæ sequeretur, quam sequendo non posset esse damnabilis. *Si enim non recedetur ab eo modo, quo naturaliter factus est, ita ut melius esse non possit, ea quæ debet facit, qui hæc facit.* Quæ ratio non habet locum, si jam liberâ voluntate peccantem ejusdem liberæ voluntatis duritia & perpetuitas consequatur. Iam enim liberè peccando recessit ab eo modo, quo naturaliter factus erat, & recedendo fieret, ut (quamvis liberam illam voluntatem recedentem à natura sua volendi, obstinatione ampliùs mutare non posset, quia mutare non vellet) non propterea ille qui constrictus esset ista hypothetica & voluntaria necessitate, ea quæ debebat, facere censeretur.

Tract. 3. de lib. arb. c. 3.

Lib. 3. de lib. arb. c. 1

Ibid. c. 5.

## CAPVT XXVI.

### De alijs propositionibus in Bulla Pij Quinti damnatis, quæ supra traditam doctrinam sancti Augustini complecti videntur.

SED aliæ non paucæ propositiones in eadem Bulla, inquies, proscriptæ sunt, quæ doctrinam illam aliam, quam de tentationum victoriâ, de vitandis per liberum arbitrium peccatis; de operibus infidelium, & similibus, ex Augustino produximus, redolere prorsus videntur. De quibus sigillatim aliquid dicendum est.

In primis igitur profertur illa propositio vigesima-nona. *Non soli fures ijsunt & latrones, qui Christum viam & ostium veritatis & vitæ negant, sed etiam quicunque aliundè, quàm per ipsum in viam iustitiæ, hoc est, ad aliquam iustitiam conscendi posse docent, aut tentationem ullam sine gratiæ ipsius adiutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non indicatur, aut ab ea non superetur.* Vbi damnari videtur ea doctrina, qua diximus ex Augustino, nullam tentationem solo libero arbitrio posse superari.

In Bulla Pij V. & Greg. XIII

Respondetur, In ista Bulla nonnullæ propositiones damnantur, non tam propter falsitatem doctrinæ, quam contineant, quam propter acrimoniam censuræ, qua earum auctor, Doctorum quorundam sensa perstringit.

Quod quia aliorum animos exacerbare & offendere solet merito à Pontificibus improbatum est. Et hinc est, quod inter notas quibus illæ propositiones inuruntur quædam respectivè dicuntur esse *scandalosæ*, & *in pias aures offensionem immittentes*. Quam solutionem Franciscus Suarez in multis propositionibus veram esse sentit, inter quas ipsius quoque judicio apertissimè vigesima secunda collocanda est, quæ dicit: *Cùm Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos secundo: Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus:* cùm Augustinus illam ut probabilem admittat, & S. Thomas doceat. Itaque Suarez: *Nunc generatim dici potest, has propositiones, quæ non apparent ita damnabiles propter vnam doctrinam: propter acerbitatem & audaciam, quæ Baius suas propositiones astruebat, & contrarias notabat, reectas esse à Pontifice, saltem ut scandalosas: quia illa Baij immodica exaggeratio scandalum generabat. Quæ regula recte quidem ad primum exemplum* (de ista propositione ex capite secundo Epistolæ ad Romanos desumpta) *accommodatur.* Ad illam verò propositionem: *Non solum hi fures sunt & latrones* &c. Ita respondet; *necessarium non esse, ut propter omnes damnetur; præsertim quia illa propositis ex hypothesis est, & cum intolerabili temeritate incipit: non solum hi fures sunt & latrones* &c. Gabriel verò Vasquez hanc ipsam primam propositionem, quam de victoria tentationum objecimus; itemque illam vigesimam octavam, quam vocat 29. *Pelagianus error est dicere, quòd liberum arbitrium valet ad vllum peccatum vitandum*: nec non trigesimam sextam: *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.* Et sexagesimam tertiam quam ipse 61. nominat: *Non nisi Pelagiano errore admitti potest, vsus alicuius liberi arbitrij bonus sive non malus, & gratiæ Christi iniuriam facit, qui ita sentit & docet.* Has, inquam, omnes propositiones & plures alias rejectas esse tradit Vasquez. *Non propterea*, inquit, *quòd auctor earum, hanc sententiam sequeretur*, videlicet quod nulla tentatio sine gratia per Christũ vinci posset, vitariqúe sine peccato: nullumque moraliter bonum opus fieri sine gratia: *sed quòd oppositam erroris arguat: sicut etiam incusaretur, qui censeret hæreticam opinionem Thomistarum asserentium Beatam Virginem conceptam in peccato originis: non quod ipse oppositam sequeretur, sed quod prædictam carperet ac morderet.* Hæc ipse latiùs prosequitur. Et ad hujus solutionis veritatem asserendam, profert testimonium Francisci Toleti confitentis solutionẽ esse germanam, & Bellarmini sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, quorum alter Lovanium destinatus fuit, ut ejus opera Bulla reciperetur, alter ibidem fuit, cùm promulgaretur. Vnde ipse Vasquez ex professo docet nullam tentationem superari, nullumque moraliter opus bonum fieri, sine gratia Christi & primam earum à duobus illis prædictis Cardinalibus traditam fuisse asserit. *Verum si damnatio harum,*

Proleg. 6. c. 2. n. 14.

Suar. Proleg. 6. c. 2. num. 14.

Num. 15.

1. 2. Disp. 190. c. 12. & Disp. 189 c. 15.

Vasq. 1. 2. Disp 190. c. 18. n. 174.

A inquit, *propositionum aliquid obstaret sententiæ nostræ in hac disputatione, obesset etiam opinioni quam præcedenti disputatione secuti sumus de victoria tentationum, quam etiam tradidit noster Bellarminus. At ille noverat prædictam damnationem, imò & occasionem illius, quam inferiùs referemus. Nam & ipse Lovanij fuit eo tempore, quo contentiones inter Doctores exortæ fuerunt; & Romæ, cum prædicta Bullà editâ & confirmatâ fuit. Nihilominus neque contra opinionem, quam docet de victoria tentationum, quicquam ex hac Bulla sibi objicit.* Et paulò inferiùs etiam de Francisco Toleto: *Adde Franciscum Toletum nostræ societatis Religiosum, & postea Romanæ Ecclesiæ Cardinalem illustrissimum, cum quo de hac re conveni, dum essem Romæ, in ea fuisse sententia: quòd nulla tentatio etiam minima sine auxilio gratiæ per Christum vinci posit, aut vitari sine peccato. Et tamen ipse auctoritate Apostolica Greg. XIII. Lovanium missus est ad componendas* B *lites de hac re inter Theologos, & ut curaret prædictam Bullam ab omnibus submissè recipi. Sciebat igitur nihil suæ opinioni prædictam damnationem adversari, ut inferius commemoravimus.* Et statim subjungit: *Ego etiam non dubito propositiones, quas memoravimus, sicut etiam multas alias contrarientes acre iudicium, quo Doctor ille aliorum opiniones criminabatur, damnari tantùm, ut scandalo & offendiculo parentes, & hâc ratione solùm prohiberi. Nam & audacia, nimiaque arrogantia in aliorum sententijs malignè vellicandis, ac lacerandis non parum scandali afferre solet: à quo docti & prudentes Theologi in suis scriptis abstinere deberent.* Quod ostendit ex prohibitione, quâ sugillatio & notatio sententiæ de Cõceptione B. Virginis immaculata vetita est. Et cùm in eandem sententiam non pauca dixisset, ad Eminent. Toletum redieas: *Sensum huius damnationis, prout à me explicatus est, contuli cum Illustrissimo D. Cardinali Francisco Toleto, cum adhuc sacri Palatij Concionator & Theologus esset, anno 1586. qui ut dixi pro hac Bulla & damnatione recipienda Lovanium missus fuit,* EUMQVE PROBAVIT ET GERMANUM ESSE DIXIT, PROPRIAQUE MANU *subscripsit: cuius scriptionis exemplar apud me adhuc est.*

Ibid.

Num. 13.

Num. 17.

Quæ quamvis ita sint, non tamen negat neque Bellarminus, neque Toletus, neque sanctus Augustinus, quin liberum arbitrium aliquod particulare peccatum suis viribus vitare, nonnullasque tentationes ita sine gratia superare possit, ut in aliam incidat. Nullo modo enim necesse est, ut eâdem quâ pulsatur animus tentatione, superetur, vel in idem peccatum incidat, quo vi tentationis urgetur. Si ergò Pontifices eos qui hoc negant, proscribendos illa censura duxerint, tunc non solum propositiones illæ, quantum ad censurarum acerbitatem, sed etiam quantum ad ipsam quam continent doctrinam damnatæ censeri debent. Talis enim doctrina non tantùm Augustino, ut suprà vidimus, sed experientiæ perspicuè contraria est, quâ docemur ab hypocritis apertissima quædam vitia, vanæ gloriæ cupiditate, vel alijs vitijs deterioribus vinci. Sed non arbitror ad illum

vitandæ

vitandæ superandæque tentationis modum à Pontificibus respici, quem à nemine negatum esse nemini, ipsa verba propositionis satisindicant, de illa superatione tentationis esse sermonem, quâ sic resistitur tentationi, *ut in eam non inducatur*, hoc est ut, in nullam inducatur. Quod fit, ut Augustinus dicit, quando *concupiscentia bona vincit concupiscentiam malam.*

Quod si quæratur quâ certitudine doctrinam istis superioribus quatuor propositionibus contentam, & à censurandi acerbitate separatâ tradiderit Augustinus vigesimam octavam & vigesimam nonam, quod nulli tentationi sine gratiæ adjutorio resisti possit, sic ut ab ea non superetur, vel sic ut peccatum vitet, & trigesimam sextam, quòd nihil boni operis naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnosci debeat, & sexagesimam tertiam, quòd nullus usus liberi arbitrij bonus, sive non malus sine gratia haberi possit? Respondeo, sicut negare non possum omnes illas propositiones constantissimè sine ulla omninò fluctuatione docuisse contra Pelagianos Augustinum, ita dubitare non possum, eas velut bases totius doctrinæ de gratia & libero arbitrio, & consequenter tanquam doctrinâ Catholicam indubitatam tradidisse. Quod ipsemet non obscurè multis locis profitetur, sicut ex præcedentibus satis perspicuè intelligi potest, & de plerisque uberius, cùm de gratia disserturi sumus patefiet, hic de vincendis tentationibus peccatisque vitandis sufficit tantisper una sententia sancti Augustini quam tanquam Catholicam fidem confitendam esse profitetur: *Fateatur* (Pelagius) *quando contra tentationes concupiscentiasque illicitas dimicamus quamvis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa sed ex adiutorio Dei nostram provenire victoriam.* Vnde Pontificali auctoritate sanctus Innocentius: *Necesse est ut quo auxiliante vincimus, eodem rursus non auxiliante vincamur.* De operibus verò naturaliter seu moraliter bonis, seu usu bono liberi arbitrij quid senserit, satis declarat locus ille quo adversus eosdem Pelagianos dicit, *Nemo benè libero arbitrio uti potest nisi per gratiam, quæ non secundum debitum redditur, sed Deo gratis miserante donatur.* Quam sententiam Episcopi Africani & Apostolicæ Sedis Antistes Celestinus, sua definitione sancientes dicunt: *Præparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium. Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt: ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.* Ex quo perspicuum est sanctos illos Patres Augustinum Afros Episcopos & Apostolicæ Sedis Præsules, non aliter quam Pelagiani erroris frutices, contrarias doctrinas reprobasse quod quo pacto cum illa Bulla Pij V. & Gregorij XIII. cohærere possit, sequenti capite dicturi sumus.

*Epist. 106.*

*Epist. ad Concil. Carthag.*

*Lib. 1. ad Bonif. c. ult.*

*Celest. Papa in Epist. ad Gall. Episc.*

## CAPVT XXVII.

### Proferuntur aliæ ex illa Bulla propositiones de operibus infidelium, de potestate arbitrij non nisi ad peccandum, de amore duplici creaturæ rationalis, & difficultas ex illis nata solvitur.

NAM de alijs nonnullis doctrinæ capitibus quæ ab Augustino videntur esse tradita, major difficultas est. Nam propositio vigesima quinta quæ damnatur in illa Bulla, sic sonat: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.* Et propositio vigesima septima: *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adiutorio non nisi ad peccandum valet.* Et trigesima septima quæ fundamentum videtur esse præcedentium. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas quæ mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas quæ per Spiritum sanctum in corde diffusa, Deus amatur.* Hæc autem omnia videtur docuisse Augustinus uti verba sonant. Neque enim hic responderi potest censuræ cujuspiam acerbitatem proscriptam esse; simpliciter enim & categorice tres illæ propositiones prolatæ sunt, nulla censendi acerbitate scandalosæ.

*Prop. 25.*

*27.*

*37.*

Respondetur de postrema quidem illa propositione minorem esse difficultatem. Nam illa satis apertè verbis ipsis præ se fert omnem amorem creaturæ rationalis aut esse vitiosam cupiditatem aut illam charitatem qua in corde diffusâ justificatur creatura. Nam hac de causa *laudabilis* vocatur, ut intelligatur illa charitas quæ inter Doctores hujus temporis celeberrima, & sola nomine charitatis nota est, quâ Deus diligitur super omnia; quæ omnes secundùm Apostolum Paulum virtutes comites habet; quæ juxta sanctum Petrum *operit multitudinem peccatorum*; in qua qui manet secundùm Apostolum Ioannem, *in Deo manet & Deus in eo.* Falsum est autem inter istam laudabilem charitatem, vitiosamq; mundi cupiditatem nullum amorem creaturæ rationalis esse medium. Datur enim & alius amor bonus, qui nec est ista charitas, nec ista cupiditas, quo videlicet incipit benè Deo peccator affici ante justificationem per charitatem. Ex isto enim pietatis affectu ante justificationem & credit peccator Deo, & sperat peccati sui remissionem æternamque beatitudinem, & aliquo usque, licet imperfectè non super omnia, Deum

*1. Cor. 13.*

Deum diligit. Hunc pium affectum Augustinus, hanc bonam voluntatem, hunc amorem Dei, cum initio fidei pullulare tradit, eumque nomine charitatis, ut aliquoties supra diximus vocare solet, ut proinde nihil ista propositio, quæ nomen charitatis in ista celebratissima significatione sumit, contra istam Augustini doctrinam faciat. Sic autem charitatem in ista propositione sumi, ex diversarum propositionum totiusque doctrinæ, quæ in eis traditur conformitate deprehenditur. Passim enim indicant auctorem earum in ea sententia fuisse quod quidquid operum bonorum fit ante remissionem peccatorum, fiat verâ illâ perfectâque charitate quæ justificet quidem hominem, à peccatorum tamen remissione separetur, ac proinde nullum esse auxilium gratiæ nisi per Spiritum sanctum inhabitantem, ad quem hujusmodi opera referantur. Hanc ejus doctrinam apertissimè præ se fert propositio
Propos. 31. trigesima-prima: *Charitas illa quæ est plenitudo legis non est semper coniuncta cum remissione peccatorum.* Et trigesima-secunda:
32. *Catechumenus iuste, rectè, & sanctè vivit, & mandata Dei observat ac legem impleet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum.* Et quadragesima-secunda:
42. *In hominibus pœnitentibus ante sacramentum absolutionis, & in catechumenis ante Baptismum est vera iustificatio* (sine dubio per illam charitatem de qua propositionibus duabus jam citatis) *separata tamen à remissione peccatorum.* Quæ omnes spirant non aliâ charitate seu amore ante remissionem peccatorum opera bona fieri, nisi illâ notissimâ quæ Deum diligi super omnia, & justum facit; quam sentit à peccati remissione esse separatam. Quod multò luculentius asseritur propositione sexagesima-octava:
68. *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis potest habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.* Conformiter istis principijs etiam de auxilio Spiritus sancti ratiocinari videtur. Nam
62. propositio sexagesima-prima sic loquitur: *Sed & illa distinctio duplicis iustitiæ alterius quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem, alterius quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, quæ divinæ legis iustificatio impleatur, similiter reiicitur.* Et propositio sexagesima-secunda:
62. *Item & illa distinctio duplicis vivificationis, alterius qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia & vitæ novæ propositum & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius qua vivificatur, qui vere iustificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, commentitia est, & scripturis minime congruens.* Quæ sanè apertissimè significant nullū esse auxilium Spiritus sancti *cor ad pœnitentiam excitantis sed nondum inhabitantis*: nullam Spiritus sancti *vivificationem qua vivificetur peccator, dum ei pœnitentia & vitæ novæ propositum & inchoatio per Dei gratiam inspiratur*, nisi vere justificetur per illam justificantem charitatem quæ toties dicitur à peccatorum remissione posse sejungi. Vt sanè ipsa doctrinæ in tot capitibus conformitas postulet etiam in illa propositione trigesima-septima charitatem illam laudabilem, hoc est perfectam & justificantem, quæ semper illo nomine hoc tempore & in istis propositionibus intelligitur, ab illa vitiosa cupiditate distingui, ut inter se totum amorem rationalis creaturæ partiantur; quod ab Augustini doctrina certum est esse disjunctissimum.

Ex quo etiam intelligi potest sensus propositionis vigesimæ-septimæ quam objecimus. Nam *adiutorium gratiæ sine quo nihil liberum arbitrium nisi ad peccandum valere* contendit; videtur illud intelligere quod per Spiritum sanctum inhabitantem datur, sicut eum & Gabriel Vasquez intelligit. Nam ut audiri-
Lib. 2. Ipsum. mus, reiicit adjutorium Spiritus sancti cor ad pœnitentiam excitantis, & nondum inhabitantis: reiicit & *gratiam Dei, qua inspiretur peccatori inchoatio & propositum vitæ novæ & pœnitentia*, nisi simul verè ut palmes in vite vivificetur saltem absque remissione peccatorum. Certum est autem cùm Augustinus docet liberum arbitrium sine adjutorio gratiæ Dei non nisi ad peccandum valere, eum nullo modo de adjutorio Spiritus inhabitantis loqui, sed de illo quo simul fides, pœnitentia, vitæ novæ propositum & similes boni cordis motus inspirantur peccatori antequam perfectâ illâ charitate justificetur, & peccatorum remissione purgetur. Vt proinde propositiones illæ juxta sensum earum genuinum nihil omninò contra doctrinam Augustini faciant.

Magis arctat propositio vigesima-quinta. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.* Vtramque partem enim tam constanter & luculente tot modis Augustinus tradidit, ut si ulla est doctrina in universis lucubrationibus ejus manifesta & minùs obnoxia cavillationibus, illa emicet inter omnes. Vnde etiam tricas omnes quibus doctrinam ejus obvolvere nituntur quidam recentiores, minùs versati in principijs ejus, dissipavimus. Quod si illis non obstantibus liceat Augustinum alio detorquere, fidenter ausim dicere; nos frustra hæreticos sanctorum Patrum auctoritate premere, quos tam licenter ad nostri temporis doctrinas detorquemus. Nihil enim est in toto Augustino tam clarum de gratia vel de quolibet doctrinæ capite, quod non probabilioribus glossis in alienos sensus pervicacior quisque adversarius verteret.

Quapropter ingenuè fateor mihi hic aquam hærere nec aliud impræsentiarum occurrere quod respondeam, nisi id quod biennio postquam illa bulla Lovanij esset promulgata anno videlicet millesimo quingentesimo septuagesimo, die decimâ septimâ & decimâ nonâ Aprilis coram toto auditorio ex Cathedra generatim responsum fuit. Cùm enim à Reverendissimis Dominis Martino Rythovio Iprensi, Francisco Sonnio Buscodu-

coducensi & Cornelio Iansenio Gandavensi Episcopis expedire judicaretur, ut ille propter quem Bulla emanaverat aliquid ad articulorum illorum, quos quidam omnes hæreticos esse suspicabantur, declarationem loqueretur, cùm sigillatim multorum sensum explicuisset, universim dixit, quod multis perperam persuasum esset, omnes istos articulos qui in hac Bulla damnantur, esse falsos & hæreticos, quin alioqui falsi esse non possint. Sed damnantur tantùm, tanquam, ut Bulla loquitur, *hæretici, erronei, suspecti, temerarij, scandalosi & in pias aures offensionem immittentes respective.* Quâ loquendi circumspectione significatur alios esse hæreticos, alios erroneos &c. alios tantùm scandalosos, aut offensivos. Offensiva autem propositio aut scandalosa non necessariò hæretica aut falsa est. Sic enim libri nonnulli damnantur non propter falsitatem alicujus doctrinæ, sed quod insolenti aliquâ novitate vel alia de causa perturbant animos & offendunt. Sic enim novimus quas offensiones & scandala suscitaverit in Hispania sententia de conceptione Beatæ Virginis in peccato originali, cùm tamen eam tenere quisque sineretur: Et ipse novi alicubi concionem de præputio Christi quorundam piis auribus offensionem attulisse. Vnde ut Pontifex indicaret non omnes articulos falsitatis esse damnatos salutarem clausulam adjecit, *quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento.* Sic enim illa clausula tunc temporis cum Bulla ederetur, intellecta fuit; quemadmodum & verba ista sonant, & coram toto auditorio tunc declaratum fuit. Quamobrem cùm anno millesimo sexcentesimo decimo-octavo difficultas super quibusdam Bullæ verbis esset excitata; Eximius Dominus Iacobus Iansonius qui omnium illorum quæ in Bulla promulganda per Dominum Præpositum Ariensem, & postmodum per Franciscum Toletum à Sua Sanctitate Lovaniũ destinatos acta sunt, spectator fuerat, in scholis publicis originalem Bullam manibus tenens, me præsente dixit, illam clausulam hâc occasione adjectam fuisse, quod ad Sedem Apostolicam transmissa fuisset quædam articulorum quorundã declaratio qua ostendebatur aliquos ab antiquis Scriptoribus fuisse traditos; peteretque Facultas Theologica Lovaniensis ut articuli, hæretici, erronei, temerarii, scandalosi, offensivi &c. à seinvicem secernerentur, ut qua quisque nota censeri deberet omnibus innotesceret. Quod cùm Apostolicæ Sedi certis de causis non videretur, appositum fuit ad solatium Autoris, ut aiebat, qui doctrinas quasdam antiquorum perstringi querebatur *nonnullas sententias aliquo pacto sustineri posse in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento.* Itaque idem Iansonius palam contestatus est Pontificis Bullam adulteratam esse ab iis qui distinctionem ponerent, post illa verba *sustineri possent*, ut reliqua quæ sequuntur *In rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento*, addamnationem referrentur quasi in sensu ab autore intento damnarentur. Nullius enim distinctionis in originali Bulla quã tenebat manibus & legebat vestigium esse asserebat, & revera nullum esse distinctionis vestigiũ egoipse sæpè meis oculis vidi. Vnde multo magis inadvertẽter adulterata ab iis Bulla est, qui interjecta distinctionis nota inter *possent*, &, *In rigore*, eam inserta conjunctione, *tamen*, (qua Bulla originalis prorsus caret) hoc modo efferunt: *Quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore tamen & proprio verborum sensu ab assertoribus intento* &c. *damnamus.* Hoc enim fecerunt, ut quod Pontifex subtracta adversativa particula & omni distinctionis nota, ad defensionem quarumdam sententiarum referri volebat, ipsi contra Pontificis mentem verbis textui superadditis & insertis ad damnationem distorquerent.

Quod si quædam sententiæ in sensu ab autoribus intento sustineri aliquo pacto possunt, de quibus tandem hoc verius dici poterit quàm de illis, quos autorem ex Augustino hausisse certum est, & pariter æquè certum Augustinum eo sensu eas docuisse, quo auctor ille docuit, quamvis nullo pacto Augustini fundamenta satis detexisse vel penetrasse videatur. Itaque propositionis illius, *Omnia infidelium opera sunt peccata* &c. Eundem autor ille sensum intendit, ut ex libro ejus de virtutibus impiorum patet, quem nos Augustini & Prosperi esse demonstravimus & sanctus Episcopus ac Martyr Roffensis omnium Patrum. Quis igitur credat Apostolicam Sedem quę toties Augustini doctrinam de divina gratia probavit & suam fecit, hujusmodi Augustini sententias quę non aliquo cogitandi scribendique calore & celeritate quasi aliud agenti per transennam exciderunt, sed ab ipso per omnes passim libros sparsæ, summisque disputandi viribus assertæ sunt tanquam bases quibus doctrina de gratia & libero volũtatis arbitrio nititur, tanquam hęreticas, erroneas aut verò falsas esse damnatas? Nemo certè nisi qui Apostolicam Sedem vel olim vel nunc errasse, sibique contrariam esse, non sine temeritate & errore credi velit.

Quapropter longè rectius dicendum puto Pontifices ipsos hujusmodi calumniosis cogitationibus obviare voluisse expressis verbis admonendo nonnullas sententias aliquo pacto sustineri posse in rigore & sensu ab autoribus intento. Cur ergò, inquies, proscriptæ sunt? Idcirco, inquam, quod altera sententia Scholasticorum studijs, humanas magis rationes quam Ecclesiasticam traditionem attendentes in scholis esset receptior atque tritior. Quis enim nesciat nubem esse Scholasticorum qui nonnulla opera bona in infidelibus agnoscunt, & Philosophorum virtutes non vitia, sed virtutes esse profitentur? Sed quantũvis illi numerosi fuerint, non possunt Ecclesiasticæ doctrinæ per Augustinum adversus Pelagianos constituta, per Pontifices appro-

Capi 4. 5. & 6.

approbatæ per Concilium Arausicanum non obscurè confirmatæ, per discipulos Augustini ceterosque postea Ecclesiæ Patres, aliquot seculis usque ad ætatem circiter primorum Scholasticorum quasi per manus traditæ ullum afferre præjudicium. Hoc tamen egit summorum Pontificum prudentia, ut quia Scholasticorum disputationibus Augustini doctrina ita erat obscurata, & interpretationibus plausibilibus quidem, sed ab ejus mente remotissimis quasi obruta, ut quænam esset vera illa, & ab Augustino asserta sententia, difficillimè discerni posset, altera pars sine præjudicio veritatis tantisper vetaretur, tanquam quæ vetustâ quasi novitate nostri temporis Doctores vetustatis ejus inscios offenderet scandaloque perturbaret. Non enim veritas tantummodo sed & pax Ecclesiæ præfectis curæ est, cujus interitu etiam veritas apud homines plerumque periclitari solet. Nam ita novimus sententias, quarum veritas aut falsitas nondum prorsus explorata est, nonnunquam tuendas interdici sine definitione partis alterius: eo quod opposita doctrina scandalum aut offensionem animis Doctorum, aut vulgi afferat, sicut hoc in illa doctrina quæ Beatam Virginem in originali peccato conceptam esse statuit manifestum est. Ita namque sententia ista propter offensionem hominum doceri vetita est, ut tamen si aliquo casu gravissimis argumentis Antiquorum vel Ecclesiasticæ traditionis divinæque revelationis astrui posset, illa prohibitio nihil obstaret, quo minùs Ecclesia posset eam tollere libertatemque docendi publicè contrariam doctrinam restituere & idoneis argumentis assertam definire. Quod perinde in ista propositione de operibus infidelium & virtutibus Philosophorum locum habuisse arbitramur, ut propter receptissimam in scholis partem unam, altera velut offensiva prohiberetur, donec aliquid liquidius ex antiquorum maximeque ex Augustini scriptis elucesceret. Nam in ista doctrina de operibus bonis & gratiâ bonorum operum principio naturæque viribus doctrina sanctissimi Doctoris & pugilis invictissimi adversus superbos humani arbitrij prædicatores tam sublimis, & tot elogijs sanctorum Patrum summorumq; Pontificum commendatæ auctoritatis est, ut quidquid ab ejus vestigijs aberrando posteriorum Scholasticorum subtilitas adversùs eam excogitaverit, traditæ per eum veritati cedere debeat.

Et istud quidem quod de ista jam vigesima-quintâ propositione diximus, pari ratione in alijs tribus, vigesima-octavâ, trigesima-sextâ, & sexagesima-tertiâ, quas capite præcedenti declaravimus, locum habent. Nam ut ibi diximus, Augustinus non solùm doctrinam istis propositionibus comprehensam constanter improbavit; sed etiam velut Pelagianum errorem abhorruit. Sine cujus censuræ certitudine principia ejus de gratiæ divinæ necessitate fundit ùs labefactata collabuntur, ut & leviter superiùs tactum, inferiùs verò accuratiùs explicandum erit. Sed illa tanta certitudo propter principia Scholasticorum ab Augustinianis diversissima scholasticos Doctores prorsùs latet. Nimia quippe Philosophiæ humanæ subtilitate, credulitate, doctrinaeque sanctioris quam Augustinus tradidit profunditate, & gliscente inde neglectu quòd paucissimis vacaret tot voluminibus difficillimis volutandis maximam partem ætatis impendere, veritas ab ipso tradita sic obscurata, scholasticoque pulvere sepulta est, ut quamvis in Ecclesiæ fide, quotidianisque precibus luculentissimè splendeat; in scholarum classibus tamen plerisque vix, imo ne vix quidem agnoscatur. Quo factum est, ut ne veritas tantâ censuræ prolatâ acerbitate charitatem læderet, nullis præsertim idoneis adhuc ex Augustini fundamentis eruta, nec perspicuis ejus asserta testimonijs, propositiones istiusmodi, quæ Pelagiani erroris notam tot Catholicis inurunt tractatoribus, hoc est, ipsa illa censendi, damnandique severitas damnaretur. Qua in re sicut prudentissima fuit summorum Pontificum providentia, quæ nec veritatem nudam importuna damnandi quoslibet acrimonia proferri sinit, sed vel mitius proponi, vel prorsus ad tempus supprimi propter infirmos jubet, ita eadem veritatem ex Ecclesiasticis monumentis erutam, suis cardinibus nixam, suo ornatu vestitam, suis armis quibus à Patribus est defensa munitam in publicum prodire non vetat; ut siquis aliud privata hallucinatione senserit, non censendi damnandique severitati vel soli Pytagoricæ censoris auctoritati, sed ipsius robori luciqueque veritatis colla submittat. Hinc Augustinus de Catholicorum Doctorum officio: *Ita docent, siquid docendum habent ut usitata & confirmata securissimè & fidentissimè, & lenissimè ut possunt insinuent. Inusitata verò etiamsi veritatis liquidissima manifestatione perceperunt, quærendi potius quam præcipiendi aut affirmandi modo propter audientis infirmitatem.* Quod sicuti tunc potissimum observandum est cùm veritas inusitata rudibus & infirmis, peritioribus verò ac firmis nuda argumentisque necessarijs destituta profertur, ita nonnunquam cum Ecclesiastica doctrina suis munimentis instructa fuerit fortiter constanterque sine vacillatione asserenda est. Ex qua regula sanctus Augustinus cum prædestinationis veritatem idoneis documentis Scripturæ sacræ & Ecclesiasticæ traditionis astruxisset, fidentissimè Catholicis adhuc renitentibus dicit: *Hoc*, inquit, *scio nemmem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse.* Nam ut idem alibi dicit: *Alia est ratio verum tacendi alia verum dicendi necessitas.* Instant nonnulli post suppressas istas pacis causa propositiones, atque urgent omnibus modis ut credatur etiam Augustinus novas istas sententias condidisse, quibus asseritur opera nonnulla verè bona naturæ viribus sine fide posse

Lib. 4. c. 1. vang. secundum Matth. quæst. 12.

Lib. de bono pers. c. 13.

Cap. 16.

posse fieri, benè nos uti posse libero arbitrio sine gratia, peccata vitari posse, tentationesque superari solâ arbitrij libertate: nonne ipsa necessitas veritatis postulat à sanctissimi Præsulis sententia calumniam istam propulsari, sicut cum certa veritate propulsari potest? Vt si noluerint altissimæ cælestique doctrinæ ipsius acquiescere, desinant saltem ei suam quæ per terram repit, damnatæque naturæ vires prædicando, Pelagianis si non sensibus certè vocibus utitur, cum injuria tanti Doctoris imponere.

FINIS.

# CORNELII IANSENII EPISCOPI IPRENSIS. DE STATV PVRÆ NATVRÆ LIBER PRIMVS.

## PRÆFATIO.

HACTENVS genuinum Augustini sensum de naturæ per peccatum lapsæ viribus promplimus: nunc pauca propter argumenti vicinitatem de puræ naturæ statu subnectenda sunt, ex quibus doctrina sanctissimi Doctoris non modo planius & plenius, & à radicibus intelligatur, sed etiam adversus nonnullas recentiorum machinas munita consistat. Nam quamvis eam ipsissimam esse sententiam Augustini quam in superioribus declaravimus, omnium scriptorum ejus accurata consonantia per seipsa clamet, nec animo ad penetrandum subtili, sed à præjudicijs philosophicarum opinionum libero opus sit, ad eam in ejus lucubrationibus agnoscendam, nonnulli tamen ad eam confitendam trepidabunt, quod non satis videbunt quâ ratione status puræ naturæ cum ista doctrina conciliari possit: quem in humana natura dari posse vel dubitari nefas putant. Tanta quippe est in quibusdam hominibus humanæ philosophiæ rationumque plausibilium fiducia, quas gentilium cœcitas præformavit, ut universam Augustini doctrinam facilius, præterquam ubi in terminis ipsis definita est, pessumdari, quam illas sibi præripi vel ut inanes abijci paterentur: quantumvis eis nullus vel antiquus Pater vel Concilium vel Scriptura suffragetur. Quamobrem quanquam ille puræ naturæ status non solum Augustino, sed etiam antiquæ Ecclesiæ ignotus fuerit, nec nisi à gentilibus olim & hæreticis obtrusus, ex Augustini tamen principijs facile intelligi poterit quid de illo sentire